



3

V, 48.

2. 292.

23

J. gl.





F R I B E R G V M
IN MISNIA,
IOANNIS BOCERI.

Huic accesserunt

RICHARDI SBRVLII Forliuensis Elegia in laudem
Fribergæ.

Eiusdem ELEGIA de Mirapotentia Naturæ, in rebus subter-
rancis procreandis.

IOACHIMI CAMERARII Elegia ἐπιγραφικὴ Metal-
laria ad Philip. Melanthonem.

PHILIPPI MELANTHONIS de venis Metallicis gra-
tiarum actio & precatio.

CARMEN ADAMI SIBERI ad Fribergam.



LIPSIÆ, Ioannes Beyer imprimebat,
Anno M. D. LXXVII.

GEORGIVS FABRI
CIVS IN FRIBERGVM
IOANNIS BOCERI
LVBECENSIS.

Bocerus laudes Fribergi cantat, ijsq;
Extollit pariter nomen ad astra suum.
Ingenio viuunt vrbes, viuuntq; poeta:
Omnibus ingenio conciliatur honor.
Nulla metalliferi virtutis premia montes,
Nec bona perpetuo certa tenore ferunt:
At quaecunque ferunt diuini munera vates,
Hac laudem sera posteritatis habent.
Bocero faueant Musa, sit patria grata:
Cuius Fribergi carmine crescit honor.

IN FRIBERGAM I.
BOCERI, ITERVM
EDITAM AB VLTRICOGRO-
SIO, CIVE GRATO ET
AMANTE PATRIÆ.

GROSIVS hac patria renouat monumenta sepulsa
Obluionis pœnè iam silentio.
Quod dignum tanta pretium pietate meretur?
Vt gaudeat vita, dedit quam Patria.
Viuerè nempe bis est, vitam natalibus oris
Quacunq; prorogare diligentia.

Gregorius Bersmanus.



AMPLISSIMIS ET
PRUDENTISSIMIS VIRIS,
D. D. CONSULIBVS, SENATORIBVS,
POPVLO, PLEBIQVE FRIBERGENSE
IN MISNIA, DOMINIS SVIS
PLVRIMVM COLENDIS S.
P. D. IOANNES
BOCERVS.

ETSI in hac nostri seculi iniquitate,
Viri amplissimi prudentissimiq;
nulla conditio vel ratio, æquè ac stu-
diorum misera ac contempta existat,
adeo vt pleriq; non tam propter iucunditatem, &
publicam vtilitatem, sed partim necessitate, partim
lucris cupiditate adducti, ea magnifacere & ample-
cti cogantur: & eam ob causam variæ occasio-
nes, quæ lucris bonam spem præferre videntur,
quærentur, & quæstuosæ artes eliguntur, variæq;
materiæ tractantur, & laudantur, & omnis generis
bona, vel à natura edita, vel ab hominibus inuenta,
& iam animi, iam fortunæ dotes, sæpe etiam res in-
utiles, & ridiculæ miris modis euehuntur, & ab
omnibus pleno ore laudantur, nec edendorum li-
brorum modus, vel ratio inueniri potest: tamen è
tanto literatorum numero, pauci admodum inue-
niuntur, qui patriæ suæ originem, & res præcla-
rè gestas, singulari aliqua diligentia inquisuerint,
) (2 & post

& posteritati maiorum suorum præclara facinora tradiderint, & patriam, quæ vt Cicero inquit, omnes omnium caritates complexa est, hoc laudationis, siue prædicationis honore affecerint. Cum harum rerum mihi solet in mentem venire, mirari prorsus desin, tot præclara maiorum nostrorum facinora, tot vetustatis nobilissima signa, & maximarum quarundam urbium origines, plane ignotas esse, & funditus multis in locis interisse, id enim certissime futurum erat, cum luce clarius sit, tot mira in Germania urbium incrementa, rerumque gestarum pondera, admiratione & celebratione dignissima, paucis literarum monumentis declarata, & posteritati consecrata esse, & paucos extitisse, qui in his utilissimis, & necessarijs studijs, quibus ipsa antiquitas plus autoritatis, & voluptatis addidit, meritam diligentiam & assiduitatem adhibuerint. Quid autem in hoc studiorum genere obstiterit, & præclara aliquot ingenia, istum laborem subterfugere suaserit, ego quidem ignoro, sed coniectura fortassis id assequi potero, si ingratitude nostræ seculi, istius officij intermissionis causam insimulauero. Etsi autem illis res gestæ neque vrbes, de quarum origine & vetustate, & factis proprijs, splendide copioseque, dicere potuissent nunquam defuerunt, & patrum nostrorum memoria plures crescunt, & mirabiles humanarum casus accidunt, qui

quī æternitatis memoriã optimè merentur, tã-
men quorundam negligentia, in his rebus descri-
bendis, quæ ad patriæ laudes spectare videntur,
valde accusanda est, de ijs enim iam loquor, qui
non solum studia artium ex magnitudine lucri me-
tiuntur, quid enim illi qui nisi propter diuitias
Musarum castra sequuntur, vnquam dignum lau-
de, in ijs promouendis, effecerunt: sed nescio
quam causam suspicari debeam, quare illi, hanc pa-
triæ operam subtraxerint, nisi fortassis verecun-
dia quadam, patriam laudare, ornareq; præter-
miserint. Inprimis vero semper admiratus sum,
celeberrimam urbem, Fribergum in Misnia, cu-
ius origo & incrementũ, planè diuinum, & admi-
ratione dignissimum est, & cuius præclara faci-
nora, præcipuam merentur laudem, & vt com-
muni quodam ore celebrentur, multis de causis
digna sunt: tamen hætenus, quod ego quidem
sciam, nullis literarum monumentis, illustrata esse,
præsertim cum corporis illius metallici, tanta sit
utilitas, tanta urbis celebritas, rerumq; gestarum
amplitudo, vt in celebrationem sui vnumquemque
rapiat, atq; alliciat. Ego verò amplissimi, pruden-
tissimiq; viri, propterea non vna ratione in eam o-
pinionem adductus sum, vt celeberrimæ urbis ve-
stræ, rebus præclare gestis describendis, eiusq;
laudibus concinnandis, hanc operam collocarem,

) (3 nam

nam cum rerum ipsa amplitudo, & excellentia,
urbisq; dignitas, & fama hoc postulare videbatur,
tum accessit hoc etiam, ut, cum nuper huius laboris,
vestræ amplitudini & prudentiæ, quasi initia quæ
dam, & rudem speciem exhibuissem, tamen libe
ralitatis vestræ non obscuram significationem, &
deditissimā, quātū ad laudes urbis vestræ pertinet,
voluntatem expertus sum, tanto alacrius igitur ad
ad inceptum studium redi, & qualemcunq; illum
librum, de laudibus rebusq; gestis florentissimæ
urbis vestræ contexui, in quo non leues res, nec lau
des è media fœce vulgi haustas, sed primum largis
simi corporis metallici, totiusq; urbis originem, &
nomen, rerum à proavis vestris gestarum, conti
nuam seriem, veluti Chronica quædam contexui,
& res gestas, veluti acciderunt, ferè præter morem
carminis recitavi. Quanquam verò plurimas res,
quæ vel ad dignitatem, & gloriam maiorum ve
strorum spectare videbantur, vel præsentis status
excellentiā, urbisq; decorem decebant, hic me
omisisse, minime eo inficias. Cum enim præter
lapsa secula, & clarissimas virtutes, quibus proa
vi vestri floruerunt inspicio, & urbis usq; à prima
origine, miram fortunam, rerumq; accidentium
mirabiles casus, & nostro tempore celebritatem,
pulcritudinem, ædificiorum multitudinem, alia
rumq;

rumq; rerum se offerentium cumulū considero, ve-
lut immensum quoddam pelagus, hæc me receptui
canere iubent. Nec operæpretium esse duxi, in
his omnibus referendis, anxiam sumere operam,
sed rerum præcipuarum obiter speciem aliquam
indicare satius esse putavi, Si enim hic de clarissi-
mis huius vr̄bis laudibus, vti dignitas rei postula-
bat dicere voluissem, certe non materia, sed me di-
cendī facultas destituisset. Dum enim omnes hi-
storias, quæ huius terræ Misnensis res gestas con-
tinent, intueor, nullam inuenio, quæ non singula-
rem constantiæ & fortitudinis laudem vestræ vr̄-
bi cumulatè attribuat, & in Marchiones Misniæ
fidelitatem, & diligentiam magnopere commen-
det: Certè immortalem laudem vr̄bs Fribergum
ante ducentos & quinquaginta annos consecuta
est, Cum à Cæsaris Adolphi validissimo exercitu
per duos integros annos, vt Garzo Bononiensis
scriptum reliquit, durissime obsessa fuit, & pro
patrijs focis, & salute optimi, laudatissimiq; prin-
cipis, Marchionis Friderici tertij, acerrimè pug-
navit, & in validissimas hostium copias sustinuit,
nec in hostis potestatem venisset, ni turpiter à trans-
fuga quodam pdita fuisset. Sed illud quoq; valde
de laudandū & admirandū est, cum iam victa, & in
Cæsaris verba iurare coacta esset, quantā cōstantiā,
& fidem

& fidem, etiam iniustissimo hosti præstitit, adeo
etiam, vt Friderico tertio ius patriæ terræ armata
manu, reposcenti, & seuerè flagitanti, periurij
crimine, in eius voluntatem concedere, deterrita
sit, & dicto obedire, cum hosti iuramento obstricta
fuerat, integritati famæ, & conscientiæ nocere
duxit, quapropter denuo durissime obsessa, & de-
uidta est. Quanta verò constantia & incredibili
animi magnitudine, Marchiones Fridericū quin-
tum, & V Vilhelmum tertium fratres, intestino
bello tumultuantes, ante annos centum & quin-
quaginta, sedauerit, & ab errore, armisq; sumtis
reuocauerit, perpetua memoria dignissimum esse
arbitror. Vrbs enim in duas partes diuisa, hinc
Friderici, illinc V Vilhelmi fratris imperio sub-
iecta, sed bello intestino orto, subitoq; sub specie
amicitiæ ab exercitu Friderici possessa, ille iniuste
& seuerè fratris sui partes relinquere, urbisque
imperium sibi tradere totum, & Senatum popu-
lumq; illi se iuramento obstringere postulauit, sed
ingenti Senatus populusq; animi magnitudine, &
constantia, spretis acerbissimis minis, ipsoque mortis
periculo, quod illis ni iussa facerent, instabat,
extremum vitæ periculum potius subire volu-
erunt, quã mandatis Friderici obedire, & datã fi-
dẽ fratri frãgere, seq; periuro crimine comaculare.
O fidem & constantiam maiorum vestrorum,
& nun

& nunquam tantæ laudis delendam memoriã.
Viderunt enim fortissimî, sapientissimîq; viri, res
humanarum fugacitatem, & vicissitudinem,
& magna animi contentione, in hanc solum dili-
gentiam incubuerunt, vt si rerum præsentium, vi-
tæq; periculum aliquod incurrerent, tamen poste-
ris fortitudinis, veræq; virtutis exemplum, imita-
tionemq; relinquerent, & id semper maximo cum
periculo præstiterunt, ne detracto fuce, pro vera
gloria ignominiam reportarent, & semper in gra-
uissimis causis illud sunt secuti, quod ad honesti
laudem, & vitiorum vituperationem conducebat.
Certe quoties mihi istius temporis in mentem ve-
nit, rerumq; illarum memoria, maiores vestros, ob
constantia laudem, mirari satis non possum, & tan-
tarum virtutum nunc multis in causis vix vmbra
aliquam restare puto: & cum cogitatione harum
laudum delecter, præcipua hæc fuit causa, quare
illa de materia hoc carmẽ contexere libuit: Restat
nunc historia, quæ res præclare secusue gestas, quã-
tum ad Misniam attinet, quasi in tabula spectan-
das proponit, sed cum hanc quoque diligenter
considero, illud in primis mirum mihi videtur,
quod cum D E V S Principes, aut gentes ali-
quas insigniter affligere decreuit, quod illis primo
mentem adimere sit solitus, vt in clades & pericula
sine delectu temere ruant, & postea funditus inte-
rant, cuius rei exemplum in Sueuico exercitu vis-
* deri

deri potest, qui cum longo tempore, Misniam præ-
fertim Fribergum omni genere crudelitatis, mul-
tisq; ludibrijs misere diuexauit, & multis acerbis
iniurijs affecit, tamen tandem ab optimo & for-
tissimo Principe Marchione Friderico tertio de-
uictus & prostratus, & in tantam rerum despera-
tionem redactus est, vt cum in fuga, salutis nulla
via restaret, se in vacua equorum corpora abdere
coactus sit. Nonne hoc insigne, superbix, & inso-
lentix punitæ, est exemplum? In Duce verò Fri-
derico quanta apparet virtus, & rectæ conscientix
confidentia, quanta in rebus gerendis animi magni-
tudo, quanta laborum tolerantia, militix peritia,
erga Deum, & patriam, & subditos pietas, & in
omnibus rebus moderatio, vt verè de illo hoc præ-
dicari posset, quod Achilles apud Euripidem de se
prædicat, cum inquit:

ὁ φιλόφρων μοι θυμὸς αἴρεται πρόσω,
ἠπίσεται δὲ τοῖς κακοῖσι τ' ἀσχαλᾶρ.
μετρίως τε χαιρῶν τοῖσιν, δ' ἠωγκωμένοις.

Hic enim propriæ virtutis sibi conscius, & rerum
gestarum magnitudine, iraq; iustissima commotus,
tanta animi indignatione pertulit subditos, præci-
pue Fribergum, sic à Sueuis vexari, & indignissi-
ma quæq; pati, tanta igitur cura, patriam liberare
nititur, & incredibili celeritate, hostes aggreditur,
funditq; delitq; penitq; tanta verò moderatione, in
victos

vicōs semper vsus est, & ita se in omnibus rebus
præstitit, vt clarissimas laudes, quibus optimum
principem ornatum esse decet, cumulatisimè con-
secutus sit. Harum ego rerum dignitatem, optimi,
prudentissimiq; viri, breuiter hoc carmine com-
plexus sum, & quid maiores vestri, his in causis
præstiterint indicauī, & spero hunc laborem ve-
stræ amplitudini non ingratum fore, & luben-
tes, proauorum vestrorum præclara facinora lectu-
ros & amplexuros esse: nulla enim res adeo, ad
bene beateq; viuendum impellit, nulla laus illustri-
or, nulla virtus excellentior, proponi potest, quàm
quæ de maioribus nostris originem ducit, & qua-
si domi nata videtur, & hic mos ad immortalita-
tē glorię receptus est, & à posteris illa gratitudo ma-
iorib; debetur, ne res suas præclarè gestas, obliui-
one obrui patiantur: sed vos, qui ex auita illa lau-
dis possessione nunquam deflexistis, harum rerum,
dignitatem ipsi intelligitis, & meum studium pro-
babitis, vestræq; florentissimæ vrbis laudes, vna
cum maiorum præclaris facinoribus coniunctas,
cādido animo suscipietis, quas si nō tam splendido
ac eleganti carmine, vt decuit, contexui, tamen,
cum conatus etiam illorum qui sperato successu de-
stituuntur, voluntatis laudem præclaram mereri
soleat, in bonam partem, quicquid id est officij, ve-
stra amplitudo & prudentia accipiat, & hunc li-
* 2 bellum

bellum ob vestras laudes, quæ maximæ & celebra-
tione dignæ sunt, & propter communis patriæ
gloriam, patrumq; memoriam clementer tueatur,
nam & ea ratione, & vos posteritati consulere ar-
bitror, si maiorum vestigia strenuè secuti, & vir-
tutum suarum admiratores, & cultores, celebra-
rissimam rempublicam vestram clarissimis moribus
optimisq; institutis gubernaueritis, quod quidem
tanto studio facitis, quo maiori non potuit, & pa-
tribus vestris in possessione veræ laudis, si non pri-
ores, certè tamen æquales esse conamini, & in hac
pulcerrima virtutum contentione, non parum au-
thoritatis, & dignitatis vestris etiam nepotibus
adijciatis. Sed ita demum vos patriæ profuisse po-
steritas attestabitur, si literarum diligentem
rationem, quæ laus huic vrbi semper fuit
propria, habueritis. Bene feliciterque
valete. Lipsiæ Anno Domini
M. D. LIII. IX.
Octobris.



FRIBERGVM IN
MISNIA IOHAN-
nis Bocerii.

TEr quater exegit repetitum Cynthus orbem,
Dum procul à patria, fidisq; remotus amicis,
Cara per oblatam diduco tempora sortem,
Nec piger Aonijs desudo miles in armis,
Doctarum captus fama, studijsq; Sororum:
At varios vitæ casus, sortisq; labores,
Experior, cupidam dum mens absolueret metam
Nititur, ut cultu, rerumq; feracior usu,
Ventura referat fructum, laudemq; senectæ.
Interea vario, non ducta cupidine laudis,
Excita vel plausu, mea lûsit carmine Musa,
Arida quesito fortassis vena fauori,
Si caruit, veniam poterit tamen illa mereri,
Dum vetat ingenium vano sterilem ere fructu,
Et se dissimilem, magnis non segniter infert,
Iam quibus exultat Germania clara Poetis:

Iam te Misniacis Fribergum nobile terris,
Et tua facta canam, meritum detrectat honorem,
Non tibi liuor edax, nostris qui forte Camænis
Notior, antiquo referam dum clara sub ævo
Facta, quibus magnas aquasti fortiter vrbes,
Virtutesq; tuæ, simul & primordia gentis,
Vrbis & egregios mores, ritusque verendos,
Incrementa meis describam miraque Musis.
Vrbs mihi leta faue, nostros dignata labores
Et tua facta legi, quæ iam quoq; laudibus ornas
Teq; tuosq; simul, nostris venerabile terris

A Sydnus,

Sydus, & antiqui pralustris gloria seclī,
Nulli Iusticia, quæ nulli cedis honore,
Diuitijs elata tuis, elatâq; fama,
Quam capit & totus quâ vergit terminat orbis.
Ardua magnanimas, & digna corona per vrbes,
Quæ caras fodiunt terræ per corpora venas,
Hic vbi præclara diductus origine Mysō,
Montanas habitat, simul armis vindicat vrbes,
Si licet ingenijs, & claras laudibus vrbes
Insignesq; opibus, vitæ quarum indiget vsus,
Et bene res gestas æuo mandare futuro,
Quis vetat & tantam meritis pro laudibus urbem,
(O vtinam potero saltem quo serior ætas,
Istâ sciat) laudare meis, sua factâq; Musis.
At licet Aonijs latices mihi fontis, & vnde
Castaliæ tenues labris sitientibus haustus
Concedant, tenuiq; meas aspergine Musas
Vix recreent, vrbisque satis notissima fama,
Pierios facile cantus, tenuemq; Thaliam
Spernet, & exuperet virtutum mole suarum:
Attamen aggrediar, forsân mihi dexter Apollo,
Et mihi Pegasides concedens carmina Diuæ,
Carmina Fribergi meritas referentia laudes,
Syderaq; insignem ductura per araua gentem.
Ecquis io superum, quorum viget illa fauore,
Fautor adest? tanto mecum se credere ponto
Qui velit, & placidos cæptis concedere ventos.
Vos mihi monticolæ concedite talia Musæ,
Carmina, Mintiade diuino qualia vati,
Dum canit errantes post eruta Pergama Troas,
Ardua magnanimæ referens primordia Romæ,
Et vos imprimis, quæ semper Oreades altos

Excolitis

Excolitis montes, quibus vrbs & clara secundis
 Vtitur, & vastos terra penetrare recessus
 Audet, & ad stygias quas illa recondidit umbras,
 Vallibus argenti nigras euoluere glebas:
 Assitis: nam vester honos, & gloria nostris
 Queritur incæptis, mihi vos non dura canenti,
 Fundite perpetuis mansurâq; carmina seclis.
 Est sita, quâ roseo glacialis seuit ab ortu,
 Eurus, & argentes Albis constringit arenas,
 Terra viris, armisq; potens, dum fata manebant,
 Eudosijs habitata viris, nunc Misnica pubes.
 Incolit eiecti sedes, quas longa vetustas
 Mutauit, dixitq; sue cognomine gentis.
 Fluminibus regio, multis inclusâq; syluis,
 Diuersas spectat vario sub Sydere gentes.
 Albis ab Aurora quâ sucos irrigat agros,
 Vandalicos fines, & rura patentia spectat.
 Excipit à medio vicinos sole Boemos,
 Saxonas ad gelidam semotos respicit Arcton
 Quâ venit Austriacos Zephyrus mox conspicit agros.
 Terra sub Arctoïis qua vix prestantior oris,
 Principibus generosa suis, promptissima bello,
 Vbertate soli, fuluis fœcunda metallis,
 Exornant alias, & ditant munera terras,
 Hæc gignit fruges, hæc dulcis dona Lyæi,
 Thuriferis alibi tellus est pinguis arenis,
 Illa sed argenti riuus, fuluig; metalli,
 Omnes exuperat: Temese quot culta refudit,
 Quot dedit Eoæ fœcundâque vena Syenes,
 Quot Cybeles plangentis agri, quot Thracia tellus,
 Misnica tot fundit prestantia terra metalla.
 Quot Sicyon baccas, quot fertilis Africa spicas,

Situs Mis
 nicæ.

Læm Mis
 nicæ.

A 2

Lesbia

Lesbia vel quod habet tumidos Methymna racemos,
Tot tenet argenti praelustris Misnia venas.
Hec aris, plumbiq; nigri producit & albi
Congeriem: grato quid consita rura Lyao,
Aptaq; commemorem, gratis quid frugibus arua?
Et licet ingentis spectas loca singula mundi,
Non tamen inuenies, quo sit tam fertilis vlllo,
Materies congesta loco, neq; largius vsquam
Indulset natura sibi, tam diuite vena,
Quae non cessanti transmittit secula fructu.
Gratia Dijs superis, qui tot notescere dona,
Non prohibent caelo miseris mortalibus alto,
Abstrusas sed saepe vias, tacitosq; meatus,
Demonstrant terra, plumbi qua copia, quaeue
Argentum obscuris large succrescat in antris.

Nunc mea Calliope, tantis quae totibus, urbem
Prae reliquis splendet, memora, nec scandere mecum,
Aeriferas pigeat valles, montesq; beatos,
Praemia pro caepto referes aeterna labore.
Tunc adeo primum, merita celeberrima fama,
Quae facile reliquas vincis tot dotibus vrbes,
Aut licet argenti venas, aut ardua spectes,
Quae tibi perpetuae peperisti nomina laudis,
Tu celebranda mihi, merito tu carminis huius,
Vrbs mihi crescis opus, quamuis fortasse recuses,
Sorte tua felix, vulgi clarescere plausu,
Attamen antiquo tua dicere facta sub aeo,
Et decus, & famam victuris addere chartis,
Me virtus tua magna iubet, quam maximus vltro
Ambit honos, sequiturq; tuae vestigia laudis.

Iam reuocare decet lapsarum secula rerum,
Et quibus auspicijs vrbs primis creuerit annis,

Quas

Quas tuleritq; vices ignis, Martisq; tumultus,
Et sua de priscis deducta annalibus acti,
Inspicere: hanc varijs cum cernes casibus actam,
Atq; tot innumeros fati vicisse labores,
Quisquis es, instabilis mecum facta aspera Diva,
Defensamq; urbem, placidis mirabere Diuis.

Hæc ignota prius, rigidis incultaq; siluis,
Terra fuit, visu tristis, nec vomere scissa,
Protulit optatas alterno tempore fruges,
Vtilitate carens, sed duris obruta spinis,
Incultis textit setosos vallibus apros,
Fertilis & nulli tam largæ copia venæ
Cognita delituit, Stygijs admota tenebris,
Dum Deus, atq; hominum melior fortuna labores
Respiciens, tantas placuit splendescere venas,
Amplius haud cæcis nequicquam & crescere terris.
Sed quam miranda primo hæc indagine vena
Fulserit, & nostris fas est pertexere Musis,
Tu qui res miras, & summi facta Tonantis
Forte leges, meritas, ne sit graue, dicere grates.

Vrbs iacet insignis, priscis Hermunduræ annis,
Quam coluit, populo fœcundis nota salinis,
Halis, Saxonica non infima gloria terra,
Huc fors Goslaricis auriga profectus ab agris,
Venerat, & currum sale cum replerat onostum,
Pergit, ad insignes hæc munera ferre Boëmos.
Iam patriæ fines, iam paruaq; littora Sale
Liquerat, & Mysicæ curru calcarat arenas.
Tunc, ubi Fribergi quæ nunc decus eminent urbis,
Orbita fortassis tellure reuulsit ab ima,
De scopulo partem, varijs quæ tincta figuris,
Argenti, plumbiq; fuit, variūq; secutas

Qua ra-
sione ve-
næ Fri-
bergen-
ses sint in-
uentæ præ-
mo.

Exhibuit venas, una de parte, metallum,
Alleuat hanc auriga stupens, & curribus abdens
Ad patrios defert, ceu munera mira, Penates.
Heu nimis ignarus rerum, sortisq; benignæ,
Quanta sub incultis latitaret copia terris,
Argenti, quales facilis clementia cæli,
Illi diuitias monstret. sic obruta sorde
Errat in abstrusis docilis solertia rebus.
Et magni pereunt sine fructu sæpe labores.
At DEVS, & fortuna potens, cui fauerit, illum
Sæpe vides positus subito ditescere curis,
Diuitijsq; amplis nullo sudore paratis
Otia tranquilla, sine luctu, ducere vita.
At nihil inuitis humana potentia Diuis,
Sollicitoq; potest acris sub pectore cura.
Sic quoq; Fribergi diuino munere vena,
Nota per aurigam, cui si fortasse fuisset,
Nota metallifera tam præstans copia vallis,
Inuentas simulasset opes, venamq; repertam,
Fodisset, tanta ditatus munere sortis,
Inscius abreptam scopuli sed parte galenam,
Goslariam defert, vrbs que tunc clara fodinis,
Ista præcipuis florebat in arte magistris.
Tum cito quæsitus, qua parte reuulsa, vel vnde
Hanc ferat, ille locum monstrat, cupideq; rogantem,
Detulit auulsa scopulum quâ parte notarat.
Protinus inuenti præstans vis nota metalli,
Goslaricas longe visa est superare galenas.
Pectora mox tanti commota cupidine lucri,
Misniacas adeunt terras, cumulq; feruntur,
Huc, vbi Fribergum sublimes tendit ad auras,
Casus opus cæptum inuit, fortunâq; mira;

Forte

Forte metallifera qui claruit arte magister
 Quâ fodit abstrusum sub terris Saxo metallum,
 Principe Brunopoli qui nomen præbuit urbi
 Immerito læsus, damnisq; affectus iniquis,
 Exijt his terris, magna comitante caterua
 Fossorum, & Mysicas profugus migravit in oras,
 Principis & primo veniam, sedemq; quietam
 Exorat, causâsq; aduentus ordine pandit.
 Excipit hic placide profugum, socijsq; secutis,
 Has sedes habitare dedit, iussitq; volentes,
 Cum Mysis una proprio considerare regno,
 Inuentâsq; recens studio perquirere venas.
 Scilicet hinc clara pars nunc quoq; restat in urbe,
 Saxonicum referens nomen, morâsq; vetustos,
 Nunc opus hoc etiam quæ plura vocabula poscit,
 Saxonicas referunt veteri de nomine voces.
 Sic ubi demigrans, patrias relliquerat oras,
 Saxoq; Misniacis steterat nouus incola terris,
 Nec mora perfoditur tellus, cito maxima venæ
 Eminent ubertas, & copia diues inundat
 Querentes, multisq; locis latitare repostum
 Indicat argentum, per densa cacumina viles
 Mox creuere casa, ventis ut tutus & imbris,
 Effossor placidam caperet de nocte quietem,
 Syluâq; paulatim rigida succisa bipenni,
 Cessit, & ingentes latè reserare fodinas
 Festinat studiosa manus, iam lætâq; ramo
 Monstranti, plures terra sub carcere venas
 Inuenit, & multis loca queque valere metallis.
 Iam vaga diuersas euulgat fama per oras,
 Fribergense solum miris & laudibus effert,
 Inuentâsq; recens venas, iam scilicet altos

Corpore
 metalli-
 co, Ma-
 gister
 Metallo-
 rum è Sa-
 xonia
 Wildes-
 manno /
 Friber-
 gum pro-
 ficiscitur

Vulgo
 oppidum
 Saxoni-
 cum.

Ex.

Extollunt animos, quos spes huc traxit, & omnes
 Feruentes, cupiunt huc solum vertere curas,
 Excutiuntq; vagæ non segni pectore venæ
 Flexus, & dubios per mille foramina cursus.
 Cum forsân natu senior, cui plurima dictis
 Augurijsq; fides, celsa ceu rupe sedebat,
 Sustulit ad cælum vultus, letusq; profatur.
 Fallor an hi fient ingentia mœnia colles,
 Magnanimosq; Duces, genus alto à sanguine Regum.
 Ista dabit tellus, magnis qui fortiter armis,
 Ardua Misniacæ decorabunt nomina gentis.
 Hec Patria, hæc sedes mortali lumine functos
 Accipiet rursus, magnòq; equabit olympo.
 Nec spes augurij vero fuit irrita vati,
 Implevitq; fidem fausto plaga subdita cælo,
 Vbertasq; nouæ, fœcunda & copia venæ
 Hic gratas habitare domos, circumdare muris
 Et tennes iussere casas, mox creuit in altum,
 Cespitibus congesta domus, tectisq; salignis
 Obsita, vix nocuos nuper quæ depulit imbres.
 Mox lateres, alto nituere & tegmine cupra,
 Vastior & pulcro concreuit culmine moles,
 Quiq; prior paries gleba confectus inertis,
 Clauserat expulsos cupidis à matribus agnos,
 Iam tenet impositas liquido de pondere massas.

Tempus conditæ
 vrbis. Iam DEVS humanæ domuit qui crimina vitæ,
 Corporea passus mundum vestire figura,
 Post sumtam fragilem pura de virgine carnem,
 Mille per & centum vitam traduxerat annos,
 Bis sex lustra tamen, ter quinos insuper annos,
 His add extructæ sic tempus conuenit vrbis,
 Marchio Misniacas quando celeberrimus oras,

Rexit,

Rexit, magnanimi sortitus nomen Otthonis,
Imperij Caesar Fridericus nomine Primus
Tunc fuit, immenso primum cum robore murus,
Ductaq; congesto succreuit ab aggere fossa.
Fata regunt homines, fatisq; volentibus vrbes,
Et rerum leuibus crescunt primordia causis.
Credere quis quondam potuit? dum fata manebant,
Montibus his rigidis fuluum latuisse metallum,
Argenti & liquidas florente sub arbore massas:
Credere quis quondam potuit? per lustra ferarum
Horrida, per siluas, inamœnâq; regna luporum,
Ardua nunc claras creuisse sub æthera turre.
Nunc ubi quâ primum, (quid non longæua vetustas
Immutat) rigidos sæpe aduena strauerat apros,
Ilex & teretes neruoso cortice glandes,
Protulit immundis alimenta salubria porcis,
Ardua magnanimos compellit curia patres,
Qui pulcris clarâ moderantur legibus urbem,
Deuâ que lustris & quondam silua ferinis
Apta fuit, rudis, & nullo sine nomine tellus,
Nunc vrbis nomen, magnâsq; amplectitur arces,
Hic modò tot cernis, sacris onerata trophæis
Templa, tot artificumq; manus, tot nota sepulchra
Heroum, veterum referunt qui stemmata Regum,
Signâq; nobilium generosis indita ceris,
Atq; inter cultâsq; domos, pretiosâq; tecta
Aduena diuitias vrbis miratur & amplas,
Hæc quibus è multis floret celeberrima sedes.
Et malè culta prius, tellus atq; horrida visu,
In magnas nunc creuit opes. Sine numine Diuum,
Nil bene procedit: claras feliciter vrbes
Iura, magistratus, mores, sanctumq; Senatum

Friber-
gum ab
Othone,
Misenen-
se Mar-
chione
condi-
tum.

B Condere,

Condere, non mentis præclare ludis egeat,
Principium at felix, donat, finemq; secundum,
Iupiter à cælo miseris mortalibus alto.
Iam celsæ stabant turres, iam tecta, domusq;
Fossaq; cum muris clarâ circumdabat urbem:
Nomen Deerat adhuc nomen: largis sed copia venis,
urbis Cum fluxit, tantis hinc consona nomina rebus
unde da- Et decus, & famam traheres, laudemq; perennem,
sum, Fribergum indigenæ claro te nomine dicunt,
Libera de fossis quasi ferres munera terris,
Nec tibi difficili fluerent indagine vena.

Mirum opus, ingentis qui continet omnia mundi,
Tot varias venas sub Tartara pene reclusas
Innumeris scaturire bonis, paucasq; repertas,
Commoda quæ miseris, alimentaq; debita præstent,
Sed vix post varios casus, & mille labores,
Effulgent stygijs & tecta sæpe tenebris,
Anxia defraudant sperato pectora sumtu.
Illi es & triplex circum præcordia ferrum
Humana Constitit, horribiles terræ penetrare meatus,
audacia Qui potuit primum, quâ nox obscura tenebras
Semper alit. quid non mortalia pectora cogit,
Auri sacra fames? abstrusum mille latebris
Et lateat cupidum duris in cautibus aurum,
Defossung; procul media telluris in aluo,
Quâ non ulla viæ mortalis semita ducit,
Huc tamen humanæ progressa potentia curæ,
Imaq; corrasit gemebunda viscera terra,
Nititur & medijs Plutoni è faucibus aurum
Eripere, in nigras ausa & descendere terras,
Per lapides sibi querit iter, per mille pericla,
Audet adire feram, subitamq; accersere mortem.

Vincit

Vincit iter lucrum, lucro patientia crescit,
 Lenit & ingentes sumtus, manuumq; labores.
 Adde acres curas, gemitus, & plurima vota,
 Dum mens impensas cunctis efflagitat horis.
 Adde quot & rigidos defossor ferre labores
 Cogitur, & care quasi vendere tempora vitæ:
 Quem leuis in nigrum cum ducit scala foramen
 Aerios linquit tractus, aurasq; salubres,
 Tartareas veluti & sedes, stygiaq; paludis
 Stagna petit, densas & squallens tendit in umbras,
 Succinctus corio, viliq; indutus amictu,
 Et manibus moderatur iter, stellata videtur,
 Squallida sulfureo facies & sordet odore.
 Iam si forte loco manus, aut pes lubricus erret,
 Labitur in preceps, toto & discerpitur antro,
 Mille in frustra secant & acuta corpora cautes.
 Ille gradus postquam cautè descendit ad imos,
 Atq; iter emensus durum, sua brachia iactat,
 Inq; vijs duris, cæcisq; ambagibus errat.
 Ingreditur: durasq; manus ad saxa retorquet,
 Et venæ scrutatur iter, cum densus obumbrat
 Os faciemq; simul, qui nigris halitus antris,
 Esse primo tremulo confundit lumine lychnum,
 Naturam nocui portans, virésq; veneni.
 Iam si forte volet cælum, quod desinet istus
 Et locis, cupide porrecta fronte videre,
 Imminet ante oculos (horrendum) pendula cautes,
 Terribilem inq; caput lapsum iam iamq; minatur
 Post ubi peruentum est operis quâ maximus ardor
 Incipit: ille alacres intendit ad ardua palmas
 Saxa, remollitas ardētq; auellere partes,
 Insurgens cuneis, & duri pondere ferri,

Fossorū
 pericula
 & labo-
 res.

Signum
 venientis
 halitus
 venenosi

*Prædurum disspescit opus, vibrantur ad ictum
 Brachia continuum, donec pars pulsa recidat.
 Nec fessus dimittit opus, modò larga supersit,
 Vena ferens pretium exhausti prægrande laboris.
 At licet innumeros immani pectore casus
 Perferat, & cara venalia tempora vitæ,
 Ambiguus credat fatis, sortiç, vaganti,
 Attamen ex cunctis quæ ferre pericula suevit,
 Hoc lethale nimis subita quod perdere morte
 Sæpe solet, gelidæ fossorem in carcere terra.
 Nam cum durities structo laxatur ab igne,
 Inde grauis (mirum) corrumpens omnia latè
 Halitus exurgit, fumo nutritus & igne,*

*Halitus Materia & varia, vasto quam terra recessu
 Veneno- Producit, gignitç frequens, virèsq, nocendi
 sus, qui Attribuit, rimas qui se diffundit in omnes,
 fossores Inuenta donec semet superinijcit undæ,
 sæpissi- Hic latitat, manatç, super, nocuümç, venenum
 me suffo- Occulit intactus, post flammæ forte remotas
 car. Ad solitum festinat opus, cæcâsq, tenebras
 Intrat, & audaci loca caligantia gressu,
 Nescia suprema pubes miserabilis horæ.
 Nam simul ut tenui (quis posset credere) tactu,
 Has commouit aquas, lapsus vel rupe lapillus,
 Illas exili insultans & puluere stringit,
 Emicat extemplo ignoti vis dira veneni,
 Et totum penetrat lethali robore corpus,
 Spiritibusq, occludit iter, somniumq, supremum
 Alliciens, vitam sine sensu penæ resoluit.
 At dilecta Ioui, longisq, vrbs inchoata scētis
 Dÿ tibi propitiÿ, quis enim negat esse Deorum
 Illud opus? largis te donauere fodinis,*

Teg.

Tēq; his præ reliquis voluerunt dotibus auctam,
 Vt non difficilis flueret tibi copia venæ,
 Neu rigidus longis caderet labor irritus annis,
 Frustraretq; tuos mœrenti pectore ciues.
 Semper inexhausta tu polles munere venæ.
 Sæpius & quantum rigidis de cautibus aufert,
 Quando opus exercet cæcis operosa tenebris
 Turba, noui tantum rursus succrescere plumbi
 Aspiceres, veluti gelida ros nocte reponit,
 Detondent quantum Siculi sub sole iuueni.

Nec coit angustè tam magnæ copia venæ,
 In partes sed fusa amplas, tractūq; patenti,
 Vicinas ditat simili plumbagine terras,
 Fribergi decus & veluti primaeva secutas

Metalla Iura, suum autorem noscunt propriosq; penates.
 adheren Quid Scharfenbergi gelidum quod conspicit Albini
 tia cor- Munera, lanifica memorem vicināq; T Schopæ,
 pori me- Quæ Sachsenbergum propria sic gente vocatum
 tallico Innumeris venis, multis & dotibus ornant.
 Friber- Hoc Glashuta tuas quid laudem carmine venas?
 gensi. Quidue Frauenbergi duplicis? quid magna Toranti
 Dona? quid ariferæ non cessatura Libenæ
 Munera? vos Saxo primis inuenit ab annis,
 Solerti & vestras referauit mente fodinas.
 Laus Salue flos patriæ gentis fortissime Saxo,
 Saxonū, Ecce metalliferi tua tollunt nomina montes,
 qui pri- Quos Thrax, quos Myso, quos & modo Pannonia tellus
 mi in Quos fodit innumeris iam Misnia tota fodinis,
 Misnia, Scilicet armipotens, & dextera sueta labori,
 Vnga- Has prior excussit solerti indagine venas,
 ria, My- Monstrauitq; nigris tot dona latentia terris.
 sia & Thracia Ausa per obscuro Plutonia regna meatu,
 foderunt Ausa per obscuro Plutonia regna meatu,
 metalla.

Per lapides & querere iter, per densa viarum
Claustra, quis hos primum potuit tolerare labores
Saxo fuit, validos primum hic perrumpere montes,
Elicere & docuit largas plumbagine venas.
Salve iterum, primus tam clari muneris autor,
O decus excelsum magna Germanidos ora,
Pannonij montes, & te Rhodopeia iactant
Culmina, te Mysia resonantq; vehuntq; fodina.
Omnibus his melior, largis atq; vna metallis
Misnia fertilior, merito te tollit honore,
Fribergum inprimis, memori te semper in auro
Euehit, auspicijsq; tuis se fortiter ortum
Gaudet, & antiqui quoq; iure superbit honoris.
Fribergum o patrie decus, & pulcherrima Misna
Gloria, praestantem cui te tot dotibus urbem
Aequiparem? quanto tollam tua nomina versu?
Scilicet argento praestans, variog; metallo
Maior opum nulla est tecum quae copia certet.
Ismara quid memorem pretioso consita Baccho?
Aut olei magnum qui praestat laude Taburnum?
Velleræue Aethiopum? rutuli quid turgida Gangis
Flumina? siue Tagi fuluo splendentia ab auro?
Vincit opes tantas vrbs toto cognita mundo,
Argenti quae tot gignit largissima riuos,
Hybla quot ardua apes, quot flores gignit Hymettus,
Huic Amathus largis cedit faecunda metallis.
Scilicet vbertas & tanta copia vene,
Surgere promeritos huic vrbi iussit honores,
Et loca praecipua voluit clarescere laude,
Quae steterant nullis olim circumdata muris,
Nunc vrbs nomen, praclaram naetq; famam.
Tam quia faecunda non vnquam copia vene,

Misniacis

Misniacis audita fuit, vel cognita terris,
 Atq; metalliferis quæ nunc quoq; vallibus vrbes
 Vicina florent, tunc aspera silua tegebat,
 Sola vrbs hanc primis sed laudem seruat ab annis,
 Et decus ingenti quoq; nunc cum laude tuetur.
 Nescia perpetuæ vires amittere vena,
 Principibus quæ grata suis, solamen, & acre
 Auxilium, bellis etiam quos sæpe iacentes
 Erexit, pulsosq; ad iura paterna reduxit.
 Illius auxilio nocuos hi fortiter hostes
 Strauerunt, valido Fribergi robore fulti,
 Seu virtus bello, nummi seu copia castris
 Defuit, hos habuit firmatos anchora portus.
 At cum grata hilari fluxerunt tempora pace,
 Hos iuuat, semperq; opibus regalibus auxit.
 Hinc decus, & famam, laudes, nomeng; perenne
 Laudatus toties cunctis annalibus heros
 Henricus peperit, qui pace insignis & armis,
 Tempore Misniacis viguit quo Marchio terris
 Congestas spectauit opes, vnq; repostas
 Forte loco venas, liquefacta vt copia tantam
 Redderet argenti summam, quanta ille Boemi
 Frugibus insignem, magnis atq; urbibus amplam
 Terram emere, & proprio potuisset iungere regno
 Diuitijs ast ille suis contentus, & vno
 Haud voluit geminis curas accersere regnis.
 Et pius abstinuit bellis, seuosq; perosus
 Qua potuit placida sedauit mente tumultus.
 Atq; alias artes, quando non bellica nubes
 Ingrueret, causamq; daret ciuilibus armis.
 Iucundo patriæ, solers exercuit vsu.

Friber-
 gum ma-
 gnum
 præfidi-
 um Mar-
 chionibus
 Misnen-
 sibus.

Venarū
 Friber-
 gensium
 tanta co-
 pia &
 secundi-
 tas, vt
 Henri-
 chy Mar-
 chio sui
 opibus to-
 tam Boë-
 miam e-
 mere po-
 tuisset.

Vrbs

Vrbs iacet Hercinijs non longe distita siluis,
Northusiam veteri dixerunt voce Cherusci,
Conuocat hic proceres, quorum cupit inclyta virtus
Roboris eximium specimen, laudisq; decora,
Edere, venturae famamq; referre senectae.

Northu- Nec mora, conficitur praelustribus area signis,
siae certa Circulus in medio, pretiosaq; ponitur arbor,
meu eque Insignis trunco, ramis insignior altis,
stre, vbi Et pars de folijs fuluo splendebat ab auro,
arbor Pars alia argentum pulcra referebat ab arte.
aureis Si quis in aduersum validis tam viribus hostem
argenteis Irrueret, male firmus equo turbatus ab alto,
folijs, ex Tangeret ut duras duplicato poplite terras.
opulētia Alter at immotus, tanto nec territus ictu,
v. c. Fri- Aspiceret socium lenta vix surgere arena,
bergensis Hic folium acciperet fuluo quod splendet ab auro,
erigeba- Victor & hoc pretium clarae virtutis haberet.

Si quis at in socium validis tam viribus hastam
Conijceret, nec lapsus equo, sed fracta recidat
Hasta, nec ille tamen petijt quem fortiter alto
Tergore quadrupedis recidat, virtutis haberet
Quod nitet argenti folium laudabile signum.
Post vbi sic meritos cunctis decreuit honores,
Exilijt plausu p. bes, ostendere in armis
Seq. auct, & rigidis caput exornare galeris.
Mox ineunt bini dubiae certamina pugnae,
Et quassant tremulas animis ingentibus hastas,
Alternisq; vehunt spacijs, flectuntq; feroces
Quadrupedes, & se directis eminus hastis
Excipiunt grauitur, stant circum plurima dictis
Orēq; turba fauens, fumat de puluere campus.
Illi iter intrepidi vertunt, rursūmq; refecti,

Ingeminant

Ingeminant ictus, falsa simulacrâq, pugna,
Ambo accensi animis, & neuter cedere pugna
Postulat, infestum ni primus strauerit hostem,
Et tanto superet solus certamine victor,
Qui decus, & laudes, & præmia digna reportet.
Talibus hic ludis tranquilla tempora vitæ,
Posthabitis bellis, & pulso Marte peregit,
Diuitijsq, suis licitos contendit in usus,
Aut his religionis opus, vel iuuit egenos,
Aut pia Castalidum prouexit regna sororum,
Felix ô nimium felix, dum scepra tenebat,
Excultumq, tuis Fribergum nobile venis,
Sedula laudatis vrbs tunc intenta fodinis,
Cum tranquilla sui degerunt otia ciues.
Tunc opibus creuit magnis, ornatâq, forma
Maiori, è tenui summas excreuit in auras.
Diuitijs & nota suis, clarisq, fodinis,
Magna putabatur vicinis gloria terris.
Iamq, diu poterat felix & magna vocari,
Et sua non vlla fuerat fors tacta ruina,
Tempore quo tanta surrexit gloria vena.
At Dea, res hominum quæ nutu lubrica versat,
Hic (dolor) in clades varias, & mille labores,
Incipit & placidum in luctum mutare tenorem.
Hic geminat tristes nullo discrimine casus.
In tua damna ruens flammis, belloq, feroci,
Hei mihi quot tristes lacrymas, quam dira doloris,
Et tibi terribilis peperit quot vulnera mortis?
Quot luctus causas? Sicco tua lumine damna
Quis legat? in cineres quater ima ex stirpe relapsa.
Fortiter & toties nocuis circumdata signis.
Fortuna & casus nimium iactata per omnes,

*Vt taceam miri tibi quæ vis aspera vati,
Duriter & nocuit taciti inclementia cæli.*

*At nunc tantorum seriem, causasq; malorum
Ordiam, & veluti res accidit, ordine pandam.*

*Mirabi- In primis tristem casum, tristissima miri
lis casus Damna canam fati, primi quod causa doloris
quo venæ Extitit huic urbi, venis peperitq; nefandam
Fribergenses de Perniciem, pestemq; suis, Num credere fas est?
teriores Noxia secreto minitari sydera cælo,
factæ Inferre & tutis nocitura pericula terris?
Junt. Tam fors Fribergi vix centum floruit annos,
Et modo sæcundæ creuerunt undiq; venæ,
Exerere suas & fructu diuite vires.*

*Mœnia quæ circum multæ cum forte tabernæ,
Præbebant gelidos crebris fossoribus haustus,
Hic pars ut forsân festis secura diebus
Confluxit, lata Cerealia munera mente,
Et capiens positis rarissima gaudia curis,
Ecce noua hic turbant tristes spectacula mentes,
Obijciturq; oculis nimium res mira relatu,
Quæ cura ingenti & confundit corda dolore.*

*Forte cohors latas duxit de more Choreas,
Ab iræ superum, casusq; ignara futuri
Eheu sic seuis media inter gaudia luctus
Clam latet, ignari petimus conuiuia, risu
Soluimur immodico, rigidi vis aspera fati,
Cum latet in foribus, cædes, & mille dolores,
Hora insperata, sepe & tristissima mortis,
Hic quoq; sic aliquis subito languescere morbo
Capit, & indixit vitam iam Parca supremam.
Protinus expetitur solido de more sacerdos,
Crimina qui vitæ exploret, veniaq; benigne*

Dignetur

Dignetur, superis animam lucretur & astris.
Nec mora festinat tristes languentis ad ades,
Sacra verecundo praefertur & hostia ritu,
Huc ubi ferales duxit pars una choreas,
Altera spectatrix, viridi sed constitit herba.
Aut sic ira Deum, fragilisue superbia mentis
Commisit, dubium, latis intenta choreis,
Turba tibi solitos petulans non reddit honores
Christe potens, flexoq, tuum non corpus adorat
Poplite. at argutas tetigit qui pollice chordas,
Vno subsidens fors poplite Sacramentum,
Agnouit, Christumq, pio veneratur honore,
O solus felix, o terq, quaterq, beatus.
Omnibus ex istis meliori pectore felix.

Hiatus

serræ

saltato-

res & sal-

trixes

ob spretū

sacræ Eu-

charistiæ

honorem

absorbet.

Die

Mord-

grube.

Vix prætergressus populo comitante sacerdos,
Cum cito terribili se tellus pandit hiatu,
Absorbetq, viros, una iunctasq, puellas,
Quæ stetit & miseri spectatrix turba chorei,
Solutus at argutas tetigit qui pollice chordas,
Hæsit in exiguo scopulo, post inde reductus.
Funibus, ex templo tenui qua territus hæsit.
Pars cecidit, reliquas lapsu comitata ruinas,
Hinc (mirum) gelidis absunta cadauera terris,
Cum querit studiosa manus, tellure reuulsa
Apparent nusquam Stygijs immersa tenebris,
Discite mortales Diuum non temnere honorem.
Iam quoq, ferali retinet de morte fodina,
Nomen, & hoc memori factum testatur in ævo,
Post hæc delituit toto (miracula) seculo,
Fribergæ facilis fuerat quæ copia venæ,
Nec solitas produxit opes, suetumq, metallum,
Vrbsq, insons tantas alieni criminis iras

C a

Experta

Experta est superum, fructu priuata benigno.
 Tunc primum versa doluit mala plurima sortis.
 Tunc squallore suas obtectas undiq; venas
 Vidit, & ingentes frustra cessisse labores.
 Tam graue supremi meruisse est numinis iram.
 Vix haec pertulerat tristis miracula casus,
 Cum noua sollicitas rursus spectacula mentes
 Terrificant, quatiuntq; nouo vix corda pauore
 Sopita. Egregiae correptus amore puellae
 Forsan erat iuuenis, potiundi nulla facultas
 Cum concessa fuit, magicas se vertit ad artes.
 Quaesitumq; magum donis, precibusq; fatigat,
 Vt loca secretis monstret conuentibus apta,
 Tempus & alloquij cara decernat amica.
 Annuit, & iuuenis cupida spe pectora firmat.
 Quid non fata parant? caco correptus amore,
 Nec noctis tenebras, nec spectra vagantia vitans,
 In loca deductus solo tenebrosa recessu.
 Hic magus horrendum Iuueni, lethaleq; monstrum
 Obijcit, ille ratus cupidam venisse puellam
 Preparat amplexus, & vix sua gaudia differt.
 Porrectaq; manu iam iam contingere gaudet,
 Tempore speratae tam longo corpus amicae:
 Tum cito, comprehensum, Demon, miserabile corpus
 Parietibus miseri rigidis illisit amantis,
 Atq; animum Stygias secum diduxit in undas,
 Inq; magum corpus tam forti proiecit ictu,
 Illic semianimis tota quod nocte iaceret,
 Donec vecta tulit celeres aurora iugales,
 Tunc lympham miser, & multis recreat ab herbis,
 Vix ut turbatos sanguis remeuit in artus,
 Tum patuit tristis miranda occasio cedis.

Talibus

Talibus admonita exemplis effrena iuuentus,
Disce libidinibus rectas imponere metas
Hec ego, quo seuas moueant miracula mentes,
Semper & ut superis iusti tribuantur honores,
Vitet & illicitas iuuenum imprudentia flammās,
Inserui nostris, ceu facta fuere, Camænis.

Bella & Nunc quoq; quam belli sortem, que tristia Martis
varij la- Damna tulit, priscis præclaraq; facta sub annis
bores vr Et referam seuos animo quo tendat in hostes,
bis Fri- Magna quid assumtis & dextera prestes in armis,
bergi. Qualis & egregios firmet constantia ciues.
Vndiq; præcinctam cum Cesar dirus ad urbem,
Fulminat, insidias, varias atq; aggrauat iras.
Non ego pertexam consictas carmine laudes,
Aut aliena canam, gestis præconia rebus.
Ceures gesta meis narrabo sed ordine Musis.
Clara diu steterat nullo turbata tumultu,
Misnia, tranquillo traducens tempora cursu,
Nulla nec horribilis sonuerunt classica Martis,
Aurea sed placida currebant secula pacis,
Mox chorus Eumenidum seuis incanduit iris,
Cui pax leta nocet, dirum qui pectore virus
Semper alit, risuq; caret, nisi dira nocendi
Causa sit, aut rutilus ignis delapsus ab astris,
Cum sata, cum syluas, & magnas deuorat vrbes,
Aut cum ferali sonuit caua buccina campo,
Incenditq; viros bello, cum plurima cedes
Exoritur, totis & sternit funera campis.
Hec quoq; florenti pestis iam territa sorte,
Hei mala Misniacis meditatur plurima terris,
Quelibet & scelerum quicquid complectitur, imò
Pectore profundit, damniq; cupidine gaudet,

Conaturq̄, fero terras turbare tumultu,
Sopitisq̄, diu prauos immittere mores.
Mox languet rerumq̄, fides, legesq̄, verende,
Plurimus & toto luctus cumulatur in orbe.

Albertus
II. Lant
gravius
Thurin- Nec mora vesano iam Misnia plena, tumultu,
Hostiles acies cernit, Martemq̄, ferocem,
Plures illicitis vrbes affligere bellis.

gie, & Heu scelus infandum, proh contemnabilis error,
Marchio Dire parens, isto nequaquam nomine dignus
Misnie Marte quid immeritos iniusto affligere natos
capitali Quid iuuat in clades, & tristia damna tuorum
suorum odio fla- Accepto pretio regnum diuendere auitum?

grans, Quis precor o mentem tam dirus perculit error?
Misena, Quis precor vsq̄, adeo pectus furialibus iris
Impera- Impleuit? genitor cunctis immanior hydris.

tori Adel
pho vedit, quo
tumultu O furijs agitate parens, o dira tuorum
Pernicies, feritas nullo hac audita sub euo.
Quos regnare doles? quos contra suscipis arma?

Friber- Scilicet in proprios, scelus intolerabile, natos,
gum mise Quo perijt consuetus amor, quo mite parentis
rie vexa Nomen, & a summo vis mentibus insita caelo?

sum, & At non credidero quicquam te mentis habere
durissime Humana, sed quando vagas prognatus in auras,
obsessum Suscepit gremio furiarum maxima, & iras
est. Alecto inspirans, proprijs te fouit in vlnis,

Vberaq̄, immites primum tribuere Ceraste.
Non scelus o ingens propriam te perdere prolem?
Auxiliatrices & late accersere turmas,
Ut procul eiectos videas, tua pignora, natos,
Desertis errare locis, quis credere posset?
Vsq̄, adeo studium versum, mentemq̄, paternam?
Proijce tela manu: sanguis tuus illa tuetur

Maenia

Mœnia que pulsas: si quid modò mentis, & aq̄i,
 Projice tela manu: bello desiste feroci,
 Perdere quam tentas, proles tua: siste nefandam
 Pectoris ingluuiem: fraternos ledere Manes
 Sit scelus, vnanimes aq̄o qui iudice fratres,
 Misniacas moriens iussit regnare per oras,
 Quis rogo prærepto demens inuidit honori?
 Qui redit in proprios cumulato munere natos.
 Tu quoq̄, quid seuis iniustis Caesar in armis,
 Et restare tuis nil credis viribus vsquam,
 Si modo Misniaca subdes tibi iugera terra.
 Tunc ego crediderim, si fas, attollere contra
 Ausurum te signa Deos. Mercaris iniquè,
 Niteris & miseros agris turbare colonos,
 Et seuo iniustas popularis milite terras.
 Immemor ô veterum que Sueuica turba malorum,
 His tulerit terras, patrias cum liquerat oras,
 Et fors Misniacas dextro non omine Diuum,
 Vastarat terras: sua sed nunc fracta quieuit
 Gloria, dum tantam deposcit ad ardua gentem
 Prælia, si longis viguit sua fama sub annis,
 Si sepe ignotas bellum direxit in oras,
 Rettulit & magnas letanti milite prædas,
 Capta vel expulsis possedit regna colonis,
 Si qua fuit gesti prælustri opinio belli,
 Hic cecidit primum, dum spe fraudata recenti,
 Tam validas vrbes, arces, populūmq̄ potentem
 Vincere posse, suis & victum subdere regnis.
 Scilicet haud vno semper Dea lubrica vultu,
 Res hominum spectat: iustas cum concipit iras,
 Ardet & agnatas Mysso defendere terras,
 Virtutisq̄, suæ demonstrat robur auita,

Sueni
 quōdam
 Misnā
 ingressi,
 turpiter
 eijcun-
 tur rur-
 sum.

Eijci.

Eijcitur Sueuus, castrisq; exutus & armis,
Cogitur in patriam profugus sine laude reuerti.
Quid tibi tunc animi, quando tua signa videbas
Sueue fugam capere, & validas instare phalanges,
Tunc tibi Misniacæ sunt cognita praelia gentis,
Et quantum virtute potest, & fortibus armis.
I nunc Misniacas infausto mili: e terras,
Et pete magnanimam tibi iniquè subdere gentem.

O furor, ô faustis conuicta superbia rebus,
O fame nocitura sitis, regniq; cupido,
Ingluies & tristis opum: sic omnia fatis
Acta ruunt, primùmq; suis autoribus instat
Pœna nocens: tanti non te mouere labores:
Nec sortis, rerùmq; vices, non dira tuorum
Funera, Misniaco quondam pereuntia Marte,
Nunc iterum notas bello cotendus in oras,
Et flammis, & cede ferox, dulcèmq; quietem
Illicitis turbas crudelis Cesar in oris,
Et non vlla tuis respondent numina votis,
Quamuis non robur, validis nec copia castris,
Defuit, & quamuis aliquas tibi fortiter vrbes
Subdideras, prauisq; dolis, turpiq; veneno,
Sæpe petas fortem prosternere perfidus hostem,
At faustum euentum sceleratis addere cœptis,
Erubuit fortuna tamen: Stygiâsq; paludes
Tu prior accedis, sperata copia terra,

Frideri- Quam tibi contingat. tibi sed fortissime princeps
cus filius Et Friderice tuo fauet fortuna labori,
Alberti Successusq; alios, insperatosq; parenti
II. Lans Addidit, & summo mitis tua iuuat olympo
grauij Facta DEV S, sibi confisos qui linguere nescit
Thurin- Impatiens sceleris, concessâq; prosperat arma.
gie.

At

At nihil accensam lucro, regniq; furore,
Caesaream potuit meliori flectere mentem
Iudicio, Myticas sed fortis tendit in oras,
Sueuis, & ingenti magnas agit agmine turbas,
Bella, necemq; crepans, pretio & quas emit iniquo,
Viribus, & rigidis sibi tradi postulat armis.
Iamq; Tubantinas numerofo milite terras
Liquerat, & Cygni veterem contendit ad urbem,

Friber- Constitit hic triduum, caeptisq; quieuit in armis.
gum pri- Debilis ut solidas reparauit copia vires,
mo obsi- Hinc subito ante alias Fribergum tendit ad urbem,
detur à Hanc petit, hac auida peruersa incendia menti
Caesare Præbuit, ante alias illam sibi subdere tentat,
Adolpho Diuitias propter magnas, largasq; fodinas.
Protinus innumeris sua cingit mœnia signis,
Et se terribilem sumtis ostendit in armis.

Nunc age Calliope, reliquarum & turba sororum,
Quas ibi tunc tristes cedes, quæ funera Sueuis
Viderit, & roseis demersa cadauera fossis,
Vos mecum ingentis causas euoluite belli,
Nil fugit altiloquos, & scitis talia Diuos,
Collis erat summis magna sub mœnibus urbis,
Vndiq; secretis effossus sepe cauernis,
Dum plumbi venas, nigris scrutatur in antris
Ingeniosa manus, multis intactus ab annis,

Collis rui Casuro similis, vix & sua robora gestans:
na Cæsa (Aspera vis vati) caepti spes maxima belli,
reani ex Atq; huc infaustis senior qui venerat armis
erciu ca Inscius, ingenti selecto ex agmine cœtu,
pitanem, Occupat hunc montem, castris speculatur & aptum
in princi Inde locum, positumq; urbis, vallumq; profundum.
pio obsi- Iam iuga vix tardo superauerat vix ardua gressu,
diõis, cū Lam iuga vix tardo superauerat vix ardua gressu,
magna

*Cum subito (horrendum) perfossi roborata montis,
 Pondere pressa nouo, subita & laxata ruina,
 In præceps clamore ruunt, voluuntq; cadentes
 Arma virosq; simul, cælo fragor intonat alto,
 Aspera & obscuris cautes contundit in antris,
 Ora virum, galeasq; feras, ensesq; micantes,
 Confixosq; suis, immani pondere, telis,
 Diruta nigrantem moles detrusit ad orcum.
 Scilicet inuitis cæperunt prælia Diuis,
 Iniustos & agros prædati. nunquid inultum
 Fata diu tolerare putas? Percussus acerbo
 Hoc casu Cæsar, retro iubet ire cohortes,
 Agmen & obsessa rursus seducit ab vrbe.
 Et speculatorem castris, qui seligat apta,
 Nullaq; secretis loca subterfossa cauernis,
 Emittere vasfrum, tacite qui circumit urbem,
 Atq; locum studio quærit, gaudetq; reperto,
 Agmen quo firmo poterat considerare campo.
 Occupat hunc Cæsar, minutaq; mœnia pulsat
 Arietibus crebris, penitusq; euellere tentat.
 Interea ciues cultis, arma omnia tectis
 Educunt, murumq; simul, vallumq; tuentur,
 Et vigilas, validas, fidißima pectora, portas
 Obseruare iubent, ne noctu forsitan hostis.
 Insidias tenet, tecto aut succedere fidat.
 At tum prægrandum non cessat rumpere murum,
 Cæsar, mox una cecidit de parte relapsus,
 Et sonitum immensum late dedit, ilicet omnes
 Accurrunt ciues, delapsæ & corpora parti
 Obijciunt, subitoq; nouum tellure reuulsa,
 Arte struunt mira, lignis, terraq; refertum,
 Densum, amplum, validos qui robore perferat ictus.*

*multitu-
 dine in-
 terijt, cū
 impritia
 loci, &
 subterra-
 nei cuni-
 culi, ibi
 castra
 metari
 supiebat.*

Hæc

Hæc loca cum fortes Cæsar defendere ciues
 Vidit, & inceptum nihil hîc prodesse laborem,
 Seuocat hic iterum socios, & frangere iussit,
 Parte alia murum (procul hæc distabat ab ista
 Quam prior aggressus murali fregerat ictu)
 Hîc implere parat fossas, ac vellere vallum,
 Inijcit & scalas muris, hos scandere velox
 Et superare studet Suenus. defendere contra.
 Nituntur ciues urbem, & detrudere contis,
 Et saxis, ferroq; parant, scalisq; sub ipsis
 Herentes terebrant hastis, extabat vtring;
 Per femur, & pectus, ferrum, per colla, caputq;
 In faciem galeasq; feras, propria armaq; Suenis
 Fortiter illudunt, hi muri parte relapsi,
 Collum, infelices, & crura, & brachia frangunt.
 Atq; implent altas delapsa cadauera fossas.
 Iam vagus ardentem Phæbus confecerat orbem,
 Duxerat & quarto noua Cynthia cornua cursu.
 Quo stetit infestis vrbs hæc circumdata signis,
 Elusitq; tuas Cæsar fortissime vires,
 Et tibi iam fractæ torpent ad prælia vires,
 Atq; malè exceptus, non ultra fortibus armis
 Decertare cupis, sed te conuertis in astus,
 Inq; dolos varios, rebusq; domare sub arctis
 Niteris, & longo ciues deuincere bello.
 Interea iuuenis furialibus excitus iris,
 Pessimus ô quicumque fuit, patriæq; salutis
 Proditor, hic noctu muris delapsus ab altis,
 Cæsareas acies, hostiliâq; agmine quærit,
 Infidus, cursuq; petit turbatus inermi.
 Nec mora, circumstant, veniendi & discere causas
 Exoptant, fariq; iubent cur liquerit urbem,

Fortissu-
 do ciuū
 Friber-
 gensiū in
 muri de-
 fençã.

Vrbs
 post duo-
 rum an-
 norum
 obsidio-
 nem à
 transfu-
 ga quon-
 dam

*Quæ mora, quæ cæpto restet fiducia bello.
 Mox coram turpes has promit Cesare voces,
 En assum, fateor, pretio nihil ipse parato,
 Non ausim, si forte lubet, qui viceris altos
 Mox patriæ muros, paucis aduerte docebo.
 Non procul à porta delapsa canalibus unda
 Sæpe via in patriam lata deducitur urbem,
 Diuidit ingentem magnòq; foramine murum,
 Huc si forte ferox miles delapsus, & istud
 Ingressus fuerit nullo clamore foramen,
 Non solum ad fortes veniet sine sanguine muros,
 Sed leuibus totam superabit viribus urbem.
 Dixerat, & subito fortissima pectora Cesar,
 Triginta numero, quæ certæ occumbere morti,
 Siue referre secus cupiunt, selegit ab omni.
 His iubet intrepidi, ferrum, contiosq; trementes,
 Atque lucernam, aditum cæco quæ præbeat antro,
 Accipiant humeris, tacitiq; ad mœnia tendant.
 Illi iussa parant, animo, gressuq; superbo,
 Ad murum nigrae per cæca silentia noctis,
 Contendunt, pariter cæco & clauduntur in antro,
 Mox validum ingenti diuellere robore murum,
 Stipitibus duris instant, contisq; præustis,
 Sic ubi certabant, subitum iam fracta parabat
 Pars casum, relinquunt antrum, retròq; recedunt.
 Vix antro egressi subito cum pondere murus
 Corruit, & vasto cælum tonat omne fragore,
 Tum metus inuadit ciues, & perculit horror
 Pectora cuncta nouus, cito magna mole feruntur.
 Quâ pars fracta patet. Toto mox agmine Cesar
 Accelerat, pectusq; suis non segniter addit,
 Quisquis es ito cito, clamat, victoria nostra est,*

*qui aditum
 ad illam,
 et mœnia
 perfodi-
 enda, per
 canalem
 riuu cuius
 dam indi-
 cat, pro-
 dita &
 capta est.*

*Muri
 Fribergi
 insidijs et
 fraudè,
 tacitè ef-
 fossi, cor-
 ruunt.
 Urbem*

Urbem hodie belli causam, tantiq; laboris,
 Obsessamq; duos nobis capiemus in annos,
 Dixit, & accelerant murus qua parte ruinam,
 Traxerat, insistentque vias, & viribus urgent.
 Attoniti ciues telorum effundere contra
 Omne genus, rursus ruptoq; extrudere ab antro,
 Pro se quisue viri, iaculo conantur & hasta,
 Nec mora, nec requies, armis maioribus instat
 Caesar, & ingentes iubet accelerare phalanges.
 Hic demum totis in vulnera viribus itur,
 Et ciues aciem opponunt, & viribus hostem
 Omnibus incipiunt fractis depellere muris,
 Hic varie sunt cedes, hic sanguine fossæ
 Pinguntur roseo, galeas, nec tela, nec enses,
 Euitant ciues, nunc nunc vuluuntq; ruuntq;
 Grandia, precipites, saxa, & depellere Suenos
 Missilibus certant, longis & cominus hastis.
 At contra Caesar totas effundit habenas
 Irarum, numero melior, maiorq; secum
 Arma ferens, animis ciues, non viribus æquos,
 Exturbat statione ferox, & relinquere murum
 Cogit, & aduersis deuictos cedere Suenis.
 Tum citò terrificus veniens globus imminet urbi,
 Discurrunt alij ad portas, primòq; trucidant,
 Infaustos vigiles, alij confringere vallum
 Intendunt, equitum validasq; accersere turmas.
 Interea magno turbantur mœnia luctu,
 Et rumpunt cuneos ciues, occumbere & armis
 Dulce putant, subito calefactaq; corda tumultu
 Ingeminant tristes nullo discrimine cedes,
 Hic Fribergiaci decora immortalia Martis,
 Et robur viguit clarum, spectatq; virtus,

Acris
 pugna
 ciuium, ea
 p parte,
 qua de
 muris
 fracta
 fuit.

*Vrbs Fridricæ tuis & quantum dedita sceptris,
Pro te sustinuit tantos sufferre labores,
Quod tamen hostili tandem victoria parti
Fauit, & inuitas superauit milite portas,
Non virtutis opus, nec aperto gloria Marte
Constitit hæc hosti: meritas Rhamnusia pœnas,
Sumat ab hoc, patriam sumto qui prodidit auro.
Pendula te rupes, refugis te Tantalus undis,
Pœnâq; te Tityi, volucer te torqueat axis.*

*Iam Caesar victa damnatur Adolphus in vrbe,
Et leges, titulosq; suos, & iussa sequentem,
Sueuiacus, abiens, munitam deserit armis,
Atq; alias audax bello contendit in vrbes,
Et ius Misniacæ sibi totum subdere terra,
Nititur infelix, dubitet quis credere? tantum
Vita nefas Nemesis, regnis, exutus & armis,
Occidit Austriacis Caesar miserabilis armis.*

*At non magnanimus præreptum pertulit heros
Imperium, tantâmq; urbem, qui gloria seclî
Istius Fridericus erat, cui Misnia sorte
Contigerat patria, cui numina cuncta fauebant.
At nunc pane animo fractus, iustosq; dolore,
Amisissas propter terras, fidosq; clientes,
Ob patrias leges truculento Marte peremptos,
Ergo multa mouens, sauas ardescit in iras:
Vt leo, qui catulos vasto modò liquid in antro,
Et sauus cupidus, immani pectore, prædas,
Per siluas sequitur densas, cursûq; fatigat,
Mox carum repetens antrum, cum forsân ademptam
Non cernit prolem, rigidam nunc pectore vocem
Edit, & horrendum siluas, & rura peragrans,
Oblata necat ore feras. Sic Misnicus heros*

*Frideri-
cus Mar-
chio, qui
iam pro-
broso no-
mine ab
hostibus,
& Domi-
nus sine
terra ap-
pellatur,
amissam
patriam
paucâ ar-
ma tuo-
rum ma-
nu, recu-
perare*

Incedit, nititur.

Incedit, raptasq; vrbes, & dira volutat
Damna animo, totusq; ultricia tendit in arma.
Asperat & fortem tam seua iniuria mentem.
Scilicet affligi, penitus non pectore frangi,
Clara potest virtus: fido mox agmine rursus,
Exiguâq; manu densos contendit in hostes.
Exilis numero, forti sed viuuda bello
Copia, Sueuiaci numerosa tot agmina Martis
Non timuit, virtus & mens sibi conscia recti,
Nescio quid magnum tentat, solamine seq;
Sustentat proprio, fatis non fracta seueris.
Iam fors Lucanæ magnis sub mœnibus vrbis,
Egit ouans Sueuus collectas agmine turbas.
Iamq; putans vicisse suos, nihil affore credit,
Quin pellat Misiæ sua sub iuga tristia terras.
At cito magnanimus paucis Fridericus in armis
Accelerat, visq; fero sic incipit hoste,
Inq; hæc cum toto, pius, agmine verba precatur.
Scis pater ipse Deum, rigida qui crimina cedis,
Illiciti prohibes causas, & semina belli,
Me lucri iniusti, vetita nec cedis auarum,
Inuitum & toties ad tristia prælia cegi,
Iustus ut es, iustas ergo precor asserere partes,
At si me diri placitum est occumbere in armis,
Et nunquam, incolumem, patrias regnare per oras.
Heret & exacti mihi fixa hæc meta laboris,
Obsequar, hanc animam tua fac custodia seruet.
Dixit, & infestos audax irrupit in hostes,
Turba ducem sequitur, subita formidine Sueui
Compulsi trepidant, & vix capere arma vicissim,
Vel dubijs audent vitam committere fatis,
At DEVS armipotens vires, & fortia Mysis
Pectora

Frideri-
cus Sue-
nos ad
Lucanæ

Pectora submit, densumq; feruntur in agmen,
Clamor & in caelum surgit, fluctuq; cauatæ
Dant sonitum galeæ. ante alios se fortiter infert,
Et pius ingentes Fridericus concipit iras,
Non aliter quam saeuus aper, quem multa canum vis
Cinxit, & è siluis ad retia structa coëgit,
Hinc tandem surgunt ira, perspectaq; virtus,
Et quemcunq; videt, petit imperterritus, omnes
Et secat ore canes, latas & pectore strages
Immani cumulans, rursus se feruidus infert,
Et petit elato siluas, sua lustraq; cursu.
Sic furit, & Sueuos prosternit Misnicus heros,
Ingenti chypeo, magnis & fulgidus armis.
Non secus & reliqui, ceduntq; ruuntq; per ipsa
Sueuorum gelidis prostrata cadauera terris.
Vt magis offensa mentes, fastusq; superbos
Perpendunt, passiq; mali succurrit imago,
Tum vero cunctis animis ingentibus ira,
Ardescunt magis atq; magis, glomerantur in unum
Quaq; vident hostes, densa coisse caterua
Irrumpunt, caduntq; truces, atq; omnia circum
Cade fera replent, manant de sanguine riui,
Immundasq; tegunt defuncta cadauera terras.
Sic folia arboribus recidunt, sic ilice glandes,
Quando sub Autumno violentior ingruit Eurus,
Tam densus surgens pluuiatibus imber ab hædis
Quassat humum, tanta rumpuntur grandine nubes,
Quanta Sueuorum ceciderunt corpora strage,
Cominus atq; hastis, & fixi pectora telis,
Saucia sordenti posuere in gramine membra.
Corporis & fugiens sanguis simulacra reliquit,
Terga fuga reliqui magna formidine vertunt,

oppidum
aggresso
exigua
manu,
magnam
multitu-
dinem, in-
genti cla-
de super-
at, & in
fuga tā-
topere ab
hostibus
trepida-
tū est, ut
equorum
occisorū
pellibus se
immerge-
rent, &
abiectis
intestinis
in vacua
se corpo-
ra abde-
rent.

Iamq;

Iamq; animi cessere truces, cursuq; salutem
 Inquirunt, via nulla fuga, turpemq; recessum
 Myso negat, rigidis & cadibus undiq; sevit.
 Tum pavor, & quicquid mentes tam rebus in arctis
 Sollicitat, Sucuos magna formidine torquet,
 Casus & extremo rerum discrimine torquet.
 Iam iam Misniacas cupiebant linguere terras,
 Nec venisse optant, iam certa pericula mortis
 Ut vitent, miras latebras, mirosq; recessus
 Anxietate petunt, miseris nec terra, nec ignis,
 Vnda nec effugium, rutilis nec praeiuit aether.
 His elementa suos adimunt & quatuor usus.
 Nam pudor o ingens, vacua conduntur in aluo
 Quadrupedum, Sueuusq; crabro iam factus inermis
 Immundas sedes, & tabe fluentia regna
 Incolit infelix, meritq; superbit in aula,
 Hic latet, impura vix & se colligit aluo,
 Dissimulatq; hominem, formidine tectus equinis
 Pellibus, hinnitus simulato prodidit ore.
 Dic age lethiferi, quae tedia dira pavoris?
 Dic age, dic lentas quasq; inculpaueris horas?
 Sueue modo forma, atq; habitu mutatus equino.
 Nempe haec utilitas miseris fuit vnica rebus,
 Dum quia quadrupedis conuerso in corpora more
 Repis, & impura timidus mutescis in aluo,
 Scilicet ut doleas, tergo deiectus ab alto,
 Haud timor, e tantis haec te non cura fatigat.
 O rerum instabilis, sortisq; volubilis error,
 En tibi quas domitas post mille pericula terras.
 Insuper insultans indigna sorte premebas,
 Iam tibi non tantum, cadis quo tempore tutus,
 Deliteas, tribuere loci, sed repis in aluum

Sueui in
 corpora
 equorum
 se abdiis.

E

(Ridiculum)



(Ridiculum) nimia formidine pulsus equinam,
Et cupis esse, miser, tibi quod natura negavit.

At Dux Mysorum tanto certamine victor,
Fribergum properat, tristi quod pectore fastus,
Atq; tot immitis, captum, ludibria Sueui,
Sustinuit, tristesq; viros, tristesq; puellas,
Discissis tunicis opera ad servilia nudos,
Compulerat miles, gembundo hi pectore sortem,
Flebant, oppressiq; malis, nimioq; labore,
Hostibus heu rigidis seruitum turpiter ibant,
Atq; indignari, passi tot acerba, timebant.
At pius ingenti commotus clade suorum,
Non ultro egregijs animis hoc pertulit heros,
Nec mora, Sueviaca nuper devicta cohorte,
Mœnia circundat Fribergi, & vindice dextra,
Perniciem Sueuis portans, iustumq; dolorem,
Viribus hic iterum totis in prœlia tendit.

Nunc iterum cades referam, fusumq; cruorem,
Urbs generosa tuum, tristis fortuna dolere
Te docuit toties, miseroq; occumbere bello,
Heu manare tuas & crebro sanguine fossas,
Ipsa iterum quanti Friderico caussa laboris
Es misera? ut victam, regnis nec, fortis, ademptam
Te tulit ille suis, vires huc contulit omnes,
Et belli robur, rigido te liberet hoste,
Te decus, & patrijs iungat venerabile terris.
Iam fors vicino numerat dum monte cohortes,
Aspiciens urbem: secum sic corde volutat.
Hei mihi tot cedis, tot Suevus caussa malorum,
In regnis anne ille meis, & rure paterno
Considat? nimiumq; nocens, nimiumq; superbus.
Et sibi præ reliquis mihi amatam vendicet urbem?

Non

Suevici
militis in,
solentia,
qui puell-
las et mu-
lieres, dis-
cissis ad
singulis
vsq; vesti-
bus: adole-
scētes &
viros, de-
tractis
ijs, à fe-
moribus
ad talos
vsq; tuni-
cis, ad ser-
vilia mi-
nisteria
nudos cō-
pulit.

Non ita det meritas, scelerato sanguine pœnas,
 Iusta mihi faueant, & Dij rogo bella secudent.
 Mox iubet ut fortes circum caua buccina muros
 Insonet, & pulsus sibi portas pandere Sueuis,
 Postulet, heu quanto tunc vrbs concussa dolore,
 Quàm dubito tunc plena metu: data dextera dextra,
 Caesaribusq; fides, diri & violentia Sueui
 Heu prohibent Friderice potens, quæ iussa requiris,
 Ante tuis semper faulrix, & dedita rebus,
 Atq; aliquas nunquam quesuit perfida causas,
 Dissidij, fascesue tuos exosa, rebellis,
 Ignotum attraxit Dominum, Sueuosq; superbos,
 At dolor inuito nunc hac in fœdera venit.
 Nunc igitur, periura, graues ne Caesaris iras,
 Asperet, heu iuctu, nimis & cladibus acta,
 Et defessi malis, Dominos modò cogitur istos,
 Quos tribuit fortuna sequi, quamuis tamen optat,
 Ire sub imperium Mysi, legesq; uerendas,
 Amissoq; dolet patrios, tristissima, mores.
 At veneranda fides, illo quæ floruit auro,
 Iniusto nunquam, seruatq; languit hosti,
 Non violenda pros obstrinxit fœdere ciues,
 Adde quod & victa Sueuus dominaret in vrbe,
 Quæq; iubent ciues, vetuit, sumendaq; suasit
 Arma, sed ô proprias nimium lesura cohortes,
 Proh scelus argenti, captusq; cupidine uena
 Largiflua, rursus partum relinquare regnum,
 Sueue negas, casu nequicquam motus acerbo,
 Qui Lucaneis miserè te afflixit in oris,
 Turpis ubi humanam mutas formidine formam,
 Officiuq; hominis puduit, vocemq; fateri.
 Scilicet ô lucri, regniq; immensa cupido,

Friber-
 gum cap-
 ta, & Ca-
 sari fide-
 & iurciu-
 rãdo ob-
 stricta à
 Marchi-
 one Fri-
 derico ob-
 sessa, &
 durius af-
 flicta, &
 expugna-
 ta.

Siccine mortales potis est euertere mentes?

Iamq; ubi magnanimos urbem defendere ciues,

Et statuisse videt rigido decernere ferro,

Atq; sub imperium seruata lege reuerti

Detrectare suum: rigidis citus aduolat armis,

Altaq; cum castris urbis sub mœnia tendit,

Et fossam ingentem, latè quæ circumit urbem,

Continuo arboribus saxis, terraq; repleuit.

Ad muros & strauit iter, non missile telum

Non lapides, iactasq; trabes, hastasq; volantes,

Dux vitare iubet, sed muris fortiter instent,

Et tremulos pulsent, penitusq; excindere tentent.

Protinus ecce ingens, crebro quassatus ab ictu,

Corruit ad terras ingenti pondere murus,

Lethiferusq; altum prorupit in aëra puluis,

Vitalesq; auras, orisq; recludit hiatus,

Et muros intra, pugnaesq; enecat extra,

Post ubi dispersus, volucres vanescit in auras,

Et data lux oculis, magnus tunc undiq; clamor

Tollitur, & cades, & pugna asperrima surgit,

Montana & resonat gemebundis vocibus Echo.

Quis tot acerba DEVS, latasq; replentia fossas

Funera, qui cades tantas, stragesq; cadentum,

Expediet? tantis pugnatum viribus vsquam?

Aut hostes placuit tanto concurrere motu?

Commixti inter se, magnis se viribus urgent,

Et manui conserta manus, cum pectore pectus.

Cum iaculo telum, vulnusq; in vulnere seuit.

Inq; vicem iugulum sibi nudato ense resoluunt.

Mentibus & crescit pugnae feralis imago.

Et quantis tentant auertere viribus agmen

Hostile à muris, tantis hi fortiter instant,

Muri

Friber-

genses

tanto im-

petu cor-

ruerunt,

ut puluis

inde ex-

ortum, ma-

gnam v-

triusque

exercitum

partem

suffoca-

uerit.

Ciuum

Friber-

gensium

aeris pu-

gna cum

Marchi-

one Fri-

derico.

Propo-

Propositumq̄ tenent, fortissima pectora vinci
Nescia, collapsos muros, partemq̄, reuulsam,
Corporibus replent densis, aditumq̄, recusant,
Mox alia princeps graciles appendere scalas
Parte iubet, miseri fracta dum corpora parti,
Obijciunt, ex aduerso manus imminet urbi,
Herentesq̄, manu, celeri sua corpora saltu,
Traijciunt, densiq̄, ruunt, praeuertere cursu
Quisq̄ cupit socium, merita quo gloria palma
Detur, si primo superarit mœnia gressu.
Iam vix incepit medios ascendere muros,
Densa cohors, sonat, ecce sonat, cum tristis in urbe,
Obruit & totam subita formidine rumor.
Hostis habet muros, tectis globus imminet altis,
Vicerunt, placuit seuis quos vincere Diuis.
Iam loca presidij se quisq̄, in tuta receptet.
Sic ubi vociferant, & magno mœnia luctu,
Tristiciaq̄, replent, instat tum fortiter heros,
Misnicus, & quemcunque virum sors obtulit, alto
Truncat equo, iustis atq̄, ira efferuit armis.
Tum subito Sueuis circum præcordia sanguis
Constitit, & magna trepidant formidine ciues,
Armâq̄, deponunt, gratas pars vna latebras
Inquirit, medios pars altera lapsa per hostes,
Procubuit Ducis ante pedes, miserere tuorum,
Inquit, & heu victis veniam concede, fatemur,
In proprios Dominos nos tristia ferre coactos
Arma, sed imperium, nec iam tua iussa negamus
Velle sequi, nostros ô sed miserate labores,
Da vitam incolumem, nostro & superesse dolori.
Nec mora, commotus precibus lacrimisq̄, profusis,
Iam satis effusum preciosi sanguinis, inquit,

Atque sua hos victos cogit fortuna dolere,
 State viri, cohibete manus, absistite caede.
 Et tela atque hastas, ensesque recludite sauos,
 Inq, meos ciues, ne quis mihi sauiat ultro.
 Dixit, & audita praclari voce Magistri,
 Substitit, & nullis miles deseuit in armis.
 Non aliter vasto cum ventus Aeolus antro
 Dimittit, fera turba ruit, Rhodopeiaq, quassat
 Culmina, & horribili perturbat murmure siluas,
 Iamq, metu pelagus, terras, caelumq, fatigat,
 Illiditq, vadis puppes, ac robora siluis
 Decutit, arboribusq, comas, seuire volentes
 Non sinit ulterius, nutu rursusq, vocatos,
 Rex maris inculpan, ingenti carcere frenat,
 Vrbs iam capta, tuis Friderice adiunctaq, regnis
 Mrdua magnanimus demittit pectora Sueuus,
 Expenso & vitam seruare, miserrimus, ere
 Cogitur, & clara tristis discedere ab vrbe,
 Fortuna exutus, proprijs exutus & armis.
 En alias terras, iniustaque regna secutus,
 Cogaris o iterum claras, inglorius, vrbes,
 Quas vix tam multo superaras sanguine fuso,
 Linquere, possesso miserèq, excedere regno:
 Heu tibi tantorum fuerat quod caussa malorum,
 Quod tibi tot tristes cedes, tot vulnera dira,
 Tot peperit lacrimas, rigidis heu Sueuus in armis,
 Infelix, animas duro quot Marte profudit?
 Dum cupit insignes vrbes, assuetaque bello
 Pectora, Sueuiacis, dextro non omine, signis,
 Debellare, suo deuictaque subdere iuri.
 Hic tibi suscepti steterat sed meta laboris,
 Hac fortuna tenus tantos non ultraque fastus,

Sueui vñ
 Ita iam
 vrbe, &
 sub pote-
 statem
 Frideri-
 ci reda-
 ta, depo-
 sitis ar-
 mis, & e-
 re pro vi-
 sa solu-
 so, surpi-
 ter disce-
 dere co-
 guntur.

Nunc

Nunc te Misniacis prorsus deleuit in agris,
Et iussit posthac alienis parcere regnis,
Nulla nec iniustis circundare mœnia signis.
Mitior, in ciues Fridericus, fortia facta
Collaudat, seruasse fidem, dominumq; secutos
Quem fera sors dederat, veniam concessit, & urbi
Immemor offensa meritos addidit honores.

O decus, ô splendens istius gloria secli.
Vix animis habiture parem, faustoque labore,
Hei tibi quas genitor, scelerato pectore, clades,
Quas, ferus, insidias struxit: tu fortiter omnes
Cesareas, patrisq; minas, fraudesq; malignas
Vicisti modico magnas & milite turmas,
Et forti patrias seruasti pectore terras,
Misniaciq; decus magni, famamque perennem
Nominis, eterno notum quod stabit in æuo,
Teque, tuosque uehet sub sidera celsa nepotes.

Hæc fera, post centum ter denos insuper annos,
Natali, & septem, quo primum tempore creuit,
Quæ misere afflixit ciues, sors accidit urbi
Cum (dolor) ingenti langueret quassa dolore,
Cesareisq; armis, & iniqua capta cohorte,
Cogeret in patrios heu tristia praelia Diuos
Ferre tot & lacrimis confundere funditus urbem,
Et toties fuso fossas implere cruore.

Nunc quoq; quod dira tulit urbs tristissima flamma
Exitiale canam damnum, sortemq; malignam,
Hæc quicumq; leges, tantos miserate labores,
Et tristes casus, urbi quacunque supersunt,
Mollia felici sint fata precare tenore.

Law
Frideri-
ci Mar-
chionis.

Hæc ea-
lamitas
precipu-
a, urbi ac-
cidit año
137. ab
urbe con-
dita.

Mille

Mille DEVS refluxo ter centum & vixerat annos,
Ter quinos illis & bis sex adijce lustra,
Ob scelus humanum quo summo lapsus Olympo,
Ipse opifex mundi, mortales induit artus,
Cum primum in cineres, vrbs hac tenuemq; fauillam
Corruit, atque iterum tantos mæstissima casus
Luxit, & heu saues iam mænia subruta flammis,
Hostili toties nuper conuulsa furore,
Hei mihi quis tantas sicco cum lumine clades
Explicet? aut lacrimis tantos aquare labores
Posset, & urgentis tot seua incommoda fati,
Deplorare satis? paucis quæ creuit ab annis,
Vrbs præclara ruit, miseris spes unica rebus,
Solamēq; mali, rigidis & nobile bellis
Præsidium, ab nimis iam dudum cladibus acta,
Nunc tota in cineres summo de culmine lapsa,
Atque tot extructas lenibus non sumtibus edes,
Hausit auara lues, pressitque iacentia tecta,
Vrbis opes, monumenta Ducum, tot clara priorum
Signa patrum, sacræque aras, delubra Deorum,
Iam breuis hora tulit, furit implacabilis ira
Vulcani, & totam deuastat funditus urbem,
Haud scelus in stipulam, Riphæis actus ab Euris,
Cum flammis ventus seuit ferus inq; patenti
Omnia consumit, miscetq; incendia campo.
Iamq; ignis vires cæpit, iamq; ultima fata,
Accelerans vrbi, cultissima tecta, domosq;
Depascit, iam templa Deum, iam Curia casum
Vulcano superante dedit, iamq; omnia latè
Splendescunt loca de flammis, & tristis in vrbe
Exoritur clamorq; virum, magnusq; vlulatus
Fæmineus, glomerare manum, succurrere tectis

Incipiunt,

375.
Tempus
primo e-
xustæ vr-
bis, & fū-
ditus con-
flagratæ
XVI.
Cal. A-
prili.

Incipiunt, superat iam summum flamma cacumen,
Infusis nec cedit aquis, iam scilicet omnis
Spes cecidit, proprios & luget quisque Penates.
Et nihil in tota quam flamma apparuit urbe,
Et cum materia cœpere incendia finem,
Summâque depressis aquarunt culmina terris.
Sic tristis Troie species, Carthaginis alta
Sic facies ardentis erat, non hic minus atro
Cum luctu nocuit damnum, non hic minus omnes
Monticula fleuere DEI, fauniq; bicorni
Et Dryades, Panesque leues, humilesq; Napæa,
Inprimis fuerat quibus urbs clarissima cura,
Spectantes flammâs fleuistis Oreades alta,
Et pariter tristes fudistis pectore questus,
In cineres urbem, quæ magno nomen Olympo
Aequauit, quæ tot preciosis dotibus aucta,
Coudita sub nigris monstrauit munera terris,
Et quæ iusticiæ cultrix, quæ legibus æqua,
Gloria Misniacis & quæ fuit ardua terris,
Nunc penitus cadere, & sauo consumier igne.

Has ignis miseranda vices, & flebile fatum,
Urbs quater hæc sensit, tot fracta doloribus ô sors
Infelix, nec fida diu, vix flamma resurgens
Expectabat opus, summo de culmine rursus
Urbs miseranda cadens, ignes exuscitat igne.
Quis precor ô Muse, tantas casusue Deusue
Induxit clades? ô tantum urbs iuclyta de te
Cui licuit? tristis quæ te fortuna coëgit,
Tot perferre graues nullo sine fine ruinas?
Scilicet aduersis virtus nitet aurea rebus,
Apparêtq; malis. tantis iactata periclis,
Et tot infestis urbs præstantissima fatis

F Eluxit,

Eluxit, rigido non unquam fessa labore
Cessit, nec victas, fortune motibus acta
Præbuit ægra manus, vel fracta dolore quicuit.
In cinerem at quoties iuit, tenuemq; fauillam,
Consuevit toties meliori sorte renasci:
Non mirum? bustumq; sibi, partiumq; futurum
Illa tulit, reducisq; parans exordia formæ,
Et velut emerita deponens robora vitæ,
Semper ab exitio pulchrè renouita reuixit.
Haud secus ut volucris, nullo quæ semine surgit,
Trans Indos, Eurumq; ferum, reparabilis æquat
Durando stellas, & longæue & tædia formæ,
Deponitq; rogo senium, lætamq; iuuentam
In cineres recipit versa, ardentemq; fauillas.

Bis combusta feris vrbs infauistiſſima flammis
Iam fuerat, terræ æquatæ cum viderat arces,
E nihilo & toties se summas rursus in auras
Extulerat, semper meliori condita formæ,
Iam rata tot clades, & tot superasse labores,
Et seriem tanti, superis iam cura benignis,
Euaſiſſe mali, felix, nec bella, nec ignes
Allatura aliquem sperauerat eſſe dolorem.
Sed quàm præcipites voluunt mortalia caſus,
Fataq; quam varias capiunt nutantia formas,
Iam nitet optati facies tranquilla ſereni,
Nullus & in ſyluis, vel ſeuit in equore ventus,
Iam polus inſicitur nebulis, & pectora ſæui
Terrificant tonitrus, & hiulci fulminis ira,
Et quatunt terras, & ab imo Nerea fundo,
Euertunt venti, ſeuitq; in grandine turbo.
Vix vrbs ſopito paulum requieuit ab igne,
Et ſtudijs iterum largis intentæ fodinis,

1386.
Accidit
vrbi hoc
ſecundum
incendiū,
poſt ſolē-
nitatem
paſchalē
Quarto
die feſto.

Conſuetum

Consuetum procurat opus, fuluig, metalli,
 Rimatur caras per caca silentia venas,
 Cum Bellona iterum ferales concutit alas,
 Arma, necesq, ferens, Stygiaq, egressa palude,
 Urbem tot fessam lacrymis inuadit Erinnis.
 Nec mora, subicitur duplici maestiſſima regno,
 Dum mala magnanimos inter discordia fratres
 Intumuit, vertitq, ferox in propria bellum
 Viscera, per caecum dum mens decepta furorem,
 In scelus heu fratres, temerataq, bella coegit.
 Quis furor o fratres, qua tanta licentia mites
 Corruptit mores? fraternae vulnera dextra
 Quae vis ferre iubet? proprio quid praelia regno,
 Et miscere iuuat vires? si gloria bellis
 Expeditur, stimulos menti & ciet amula virtus,
 En hostes vobis, inimicaq, castra supersunt,
 Et scelus, insignes bello decernere fratres,
 Quod natura vetat, num vis precor aspera coget?
 Non ita: fraternae coeant in foedera dextra.
 Vndiq, iam validas iunxit Bellona cohortes,
 Laesit & ingenti fraternas crimine mentes,
 Vrbs Friderice tuis, hic fratris subdita sceptris,
 Dissentire Duces doluit, pariliq, fauore
 Quam Friderice tibi, tam fratris dedita parti,
 Quid faciat? robur tu sauis exigis armis,
 Imperiumq, verbis tibi inique tradere soli,
 Et semel assertas fratris relinquare partes,
 Ille vetat, terretq, pios hoc crimine ciues,
 Scilicet immemores ne tradita foedera rumpant,
 Neu parere velint poscenti haud debita fratri.
 Tum cito per fraudes Friderici vrbs capta cohorte
 Militibusq, obsessa suis, vis omnia adempta,

1 4 50.
 Bellu in-
 testinu,
 inter Fri-
 dericum
 V. &
 V Vilhel-
 mu III.
 fratres.

Vrbs sub
 specie ai-
 citia.

Et &

Et spes in proprijs iam nulla remanserat armis.
Mox ille horribilis, gladijs, & morte minatur,
Et vix magnanimos sua iussa facescere ciues,
Non prece iam iussit, tantis quid Curia rebus
Heu statuat? miseros quæ tunc trepidatio ciues
Pressit? & inuictam concussu funditus urbem,
Protinus insignes illustris curia patres
Conuocat, & miseris quæ sit sententia rebus
Executit, illi omnes subtristi mente sedebant,
Atq; exundabat curarum pondere pectus,
Et timor, & virtus, & mens non dedita fraudi
Conueniunt, dubios rapiuntq; in singula sensus.
Non aliter quondam quæ septem amplectitur arces,
Horridus ingentem deterruit Hannibal urbem,
Cum sua vicina felicia prælia Canna,
Ausonio & madidas viderunt sanguine terras.
Non ita iam domiti bellis, vincitq; remissi,
Quam prius immitti lacerarunt crimine Romam,
Aetoli tremuere viri. ferus aestuat imo
Corde dolor, sauis hinc obstat miles in armis,
Exitium, mortemq; ferens, quis credere nostris
Hoc poterit seclis? illinc data dextera dextræ,
Et veneranda fides, certam defletere mortem,
Nec tantas potuere minas, seuumq; periculum,
Et tandem hæc cunctis potior sententia sedit,
Inq; hæc verba pius iurat cum plebe senatus.
Sit procul ô facinus. sacras non frangere leges,
Et fœdare piam periuro crimine vitam,
Et captare dolos, & iniquas necere fraudes,
Atq; VVilhelme tuas iniuste linquere partes,
Rumpere, periuros compactaq; fœdera tecum,
Non vita sit tantus amor, lubet ire sub umbras,

& bene-
uolentiæ
possessa
ab exer-
citu Fri-
derici
quinti.

Cōstātia
& pietas
ciuium
Fribur-
gensium
qui ònes
vna cum
senatu
mori ma-
luerunt,
quæ perfī-
diæ notā

Dum

Dum licet insontes, turpi quam crimine fædos
 Nec desiderium, nostra nec cura salutis,
 Dira nec impediunt certam periuria mortem.
 Hoc ubi magnanimi Fridericus forte senatus
 Decretum vidit, rigidum constantia pectus,
 Et virtus aliena mouet, cogitq; fateri,
 Eximios ciues manifesta ad crimina cogi,
 Impiaq; aduersum moliri praelia fratrem.
 Ergo fidem laudans, seruatq; iura VVilhelmo,
 Abstinet bello, vires & protinus omnes
 Vertit in autorem, coniuncto fratre, Boëmum.
 Hæc fera concordem inter qui praelia fratres,
 Proh scelus, infandi captus dulcedine lucri,
 Mouit, at hoc meritas soluit pro crimine pœnas,
 Exutusq; bonis iterum, quæ dira cupido,
 Suasit Misniaco sibi vi subiungere regno,
 In patriam ultrices vix fratrum elabatur iras.
 Exierat placidum post hæc ciuilia lustrum
 Bella, nouus turbat cum rursus pectora casus.
 Ecce imman: scelus, furijs agitated & æstro
 Indomito, aggreditur, quondam qui bella secutus
 Conradus Noricis Kaufungus præfuit armis,
 Ille Aldenburgo iuuenes subduxerat arce,
 Ernestum, Albertumq; Duces, his letus abibat,
 Et secreta sui capiebat gaudia furti,
 Gaudia supremo sed mox conuersa dolore.
 Nam DEVS horrendi dubius non criminis ultor,
 Et fortuna suis sceleratis offuit ausis.
 Cumq; sua præda capto, sub mœnibus urbis
 Fribergi, rigido licet caput abstulit ense.
 Corpus habet dictum Petri de nomine templum,
 Inq; foro lapidem, moriens cui tristis inhaesit,

incurre-
 re, & ius
 iurandi
 VVilhel-
 mo non
 seruare.

Conradus
 Kaufun-
 gus Nori-
 bergensium
 aliquando
 belli præ-
 fectus Er-
 nestum &
 Albertum
 principes
 adole-
 scentes ex
 arce Al-
 denburgo
 furto ra-
 puerat
 Fribergi
 decollatus

Seruat, & aufferri prohibet longæua vetustas.
 Hoc quoq; post furtum viguit non amplius annos.
 Ter quinos, rigidis toties vrbs obuia fatis,
 Ecce iterum quando flammis immitibus arsit,
 Et vicus è tota vilis nisi restitit vrbe,
 Quodq; DEI Mater colitur sanctissima Templum,
 Cætera ferali iacuerunt subruta flamma.
 Hac fera tempestas ignis, non obsuit vni
 Fribergo, reliquas etiam sed perculit vrbes,
 Pluraq; vicinis micuere incendia terris,
 Oderat tunc simili doluit contermina sorte,
 Mox Thuringiacis præstans Erfurdia terris
 Gloria, flammiuoris late fumauit in auris.
 Has tibi flammaram tristis Germania clades,
 Intulit horrendis ferus Appollonius ausis,
 Vicet humus eques Tonrad de gente creatus,
 Vos ò Teutonico volitantes aere Diui,
 Infandum punite scelus, Mnachumq; dolosum,
 Supposuit tectis nocuos qui proditor ignes,
 Dent ambo pœnas, semperq; Acheronte sub imo,
 Perpetuis vrant flammis, nec copia desit,
 Heu qua Teutonicas læserunt durius vrbes.
 At modò Fribergum sibi non insueta dolebat
 Damna, nimis simili contactum sepe ruina.
 Atq; neq; iam flammis, crebro fessumq; labore,
 Hic quoq; se rursus terris erexit ab imis,
 Et surgunt plures preciosis sumtibus edes.
 Tectaq; producunt, summas congesta sub auras,
 Materiam latura nouis, fomentaq; flammis.
 Hoc quoq; diuino Templum surrexit honore,
 Tempore, quod Mariae sancto de nomine dictum,
 Eximijs totam structuræ laudibus Vrberem

1471.
 Teriū in
 cendum
 vrbis, cū
 excepto
 vico Mil
 nesi, &
 Tēplo B.
 Virginis
 totū con
 flagra
 uit IX.
 Aug.

Incen
 tia
 horum o
 rigo.

1480.
 Templi
 Collegi
 atū mag
 nifice ex
 eructum.

Ornat,

Ornat, & egregio fastigia summa nitore,
 Turribus excelsis, tectis spectandaq; iactabat?
 Hoc ter cum flammis vrbs hæc euersa iacebat,
 Magnifico est structum sumtu, multoq; paratu.
 Quis lapidi incisos Diuorum hic dicere vulnus?
 Quis loca promerita poterit extollere laude?
 De quibus ætherei sparguntur semina verbi,
 Lucida materies omni stat peruia parte,
 Omnibus & poterit iam iam casura videri,
 Hercules ni forte Leo, quo fulta recumbit,
 Structura molem extentet, ceu cælisfer Atlas,
 Et lapide ex vno structum, iunctumq; videtur
 Totum opus, artificem manus ingenisaq; prodit.
 Iam qua Baptismi sacras, clarissima Lymphas
 Complexa est motes, cultu spectabilis ipso,
 Eminent, & nitida splendet pulcherrima forma,
 Visendi atq; oculos. mentemq; cupidine captat.
 Deniq; sunt quouis hic omnia culta decore,
 Diuorum & laudem, propriumq; tuentur honorem.

Iam duo Fribergum florentia lustra peregit,
 Et tres structa recens flammis intacta per annos,
 Vrbs stetit, en iterum solitos experta labores,
 Nescio quo fato, quibus aut contraria Diuis,
 Corruit, amenti sauitq; in culmine flamma,
 Vixq; urbem structam, muros depascii & arces,
 Rursus & equa solo fumantia culmina ponit.
 Iamq; vrbs ipsa suos collo tenuis arida vuitus,
 Turrigerumq; caput profert penetratibus imis,
 In facie cineres, scintillant lumina fumo,
 Apparet picea macrum caligine collum,
 Et tostos circum crines, auresq; sonoras,
 Dant crepitum tenues, resonantq; per ora fauilla,

Vicino

Sugge-
 stū miri-
 fice stru-
 ctum: In
 quo vir
 sanctissi-
 mus D.
 Nicolaus
 Haasmā-
 nus inter
 concionā
 dū obiit
 Anno
 1539.

1484.
 Vrbs
 quarum
 incendio
 periit, 4.
 Id9 No-
 uembris.

Vicino & tegulam de tegmine forte receptam,
Opposuit fronti, calidum pepulitq; vaporem,
Atq; ita vix tandem diductis faucibus insit.

Iupiter omnipotens, rutili qui sidera cæli,
Qui flammæ, fulmenq; domas, quæ tanta libido,
Loripedem capit natum? quæ caussa tot iras
Commeruit? vires in me cur exerit omnes?
Si scelus hoc merui, si vel contraria Diuis
Succreui reliquis, tua quid rogo fulmina cessant,
Deiectamq; ima penitus me disijce stirpe,
Et rursus creuisse veta, tantine laboris,
Et seui modus ignis erit? quid singula mortem,
Intentant momenta mihi? quid grata moratur,
O mihi supremum quæ finiat hora laborem,
Vna ego ne toties, sim duris obuia fatis,
Tanta nec inuisam ledant ludibria sortem:
Iam quater (heu tantos dolor est meminisse labores,
Horresco & referens) flammis immitibus arsi,
Hic ego quas clades vidi, quæ dira meorum
Damna, tot impensis structas ingentibus ades,
Congestas tot perdere opes, magnosq; Penates
Ardere, & claras pulcris cum mœnibus arces,
Quid memorem reliquos casus? quid Martis iniquas
Cæsareasq; minas? & plenas sanguine fossas,
Tot strages, cumulosq; feros, tot dira cadentum
Vulnera, sed cuncto fuerit leue ferre labores,
Hei nimium mihi flamma nocet: tu maxime Diuum,
Tu precor immeritam, tantos miserate labores,
Respice: si qua fuit, tristem satiauius iram,
Sit flamma, belliq; modus: sic fata profusis
Obticuit lacrymis, neq; enim proferre volentem,
Plura vapor passus, queritantiq; occupat ora.

Cogit,

Cogit, & interius penetralia ad ima reuerti.
 At pater omnipotens sortem miseratus iniquam,
 Totq; vices ignis, seuos bellig. labores,
 Tot varios casus superum, tot mille gementis
 Fribergi clades, Melioribus utere fatis
 Inquit, & vrbs passum nunc obliuiscere damnum.
 Hinc mites habitura Deos, nullog; dolore,
 Aut quatienda metu, tantorum parta malorum
 Meta tibi, felix placido iam tempore stabis,
 Amplius haud bello, nocuis casuraq; flammis,
 Sic ait, atq; illam subito melioribus ornat
 Auspicijs, afflatq; nouo iam structa vigore,
 Mœnia, consuetum redijt cum protinus omne,
 Quod fuit ante decus, quarta & vice leta resurgens,
 Aedibus aethereas celsis se tollit in auras.
 O vrbs cara DEO, tantis exerci a fatis,
 Tam crebris obiecta malis, quo pectore forti,
 Innumerabilibus damnis, & casibus acta,
 Viciisti dubia tot seuua pericula sortis?
 Nunc tamen haud aliquo fortune munere egena,
 Flores, diuitijs, cultura & laudibus equans,
 Quas latè bellax Germania continet vrbes.
 O decus infestis nunquam superabile fatis,
 O patrie pralustris honos, pralustris & eui
 Gloria prateriti, quanto tibi fama labore
 Constitit, & magnum lucens super aethera virtus,
 Tu propter patriam pugnando vulnera passa,
 Hostili toties tua mœnia cincta cohorte,
 Vidisti, & roseas manare è sanguine fossas.
 Tu propter larga prestantia munera vena,
 Heu varijs obiecta malis, seuisq; rapinis:
 Precipue Friderice tuis, hoc nomine sextus

G

Casar

Caesar, Misniacis scelus, ac infamia terris,
 Tu Fribergiacas scelerata mente fodinas,
 Et sine iure rapis, fossi fructumq; metalli
 Excipis illicite, sauis & cladibus urbem
 Afficis, ignotis dum Marchio forsitan in oris
 Magnanimus Ditericus erat, fraterq; supremis
 Cesserat ut fatis, tu iam sine principe terras,
 Atq; metalliferas cepisti perfide valles.
 Quid facis infelix, fatis sublatus acerbis,
 Rursus opes moriens, non iustaq; regna relinquis.
 Atq; Palestina rediens Ditericus ab urbe,
 Non tulit abreptas, armis & vindicat urbes.
 Hic quid Sueuiacas acies? quid mille pericla?
 Hic tua quid referam periuria dire Philippe?
 Tu consanguineis toties metuendus in armis,
 Tuq; fidem, & pacta rupisti foedera pacis,
 Arduaq; iniuste ferijsti colla securi,
 Heu pactis confisa tuis: occumbit in aede
 Fraude tua sacra, Mysorum gloria, fortis
 Ditzmannus, fratris non inconcessa secutus,
 Arma sui, qui te vitali lumine cassum,
 Ultrici misit sub tristia tartara dextra.
 At licet innumeris urbs haec lacerata Tyrannis,
 Et sortis, fatiq; vices iactata per omnes.
 Tot flammis toties, tot sauos vicerit hostes,
 Indefessa malis, tanto tamen illa labori
 Obstitit & tantos infracto pectore casus
 Pertulit, & nunquam magno deiecta dolore,
 Crimine vel patrium turpi foedavit honorem,
 Iam licet insignem longis hanc fama sub annis,
 Et decus, & virtus, & nomina clara sequantur,
 Non minus in veris hic pulchra modestia metis

Constitit,

Venæ
 Friber-
 genes, à
 Frideri-
 co 6. Im-
 peratore
 occupa-
 te.

Philippo
 Comes de
 Nassou
 qui lega-
 tos Fri-
 rici Mar-
 chionis
 nefarie
 occidit,
 & cuius
 fraude
 Ditzemā
 nus Fri-
 derici
 fratris
 Lipsiæ
 in aede sa-
 cra occi-
 sus est.

Cno stitit, & plausu, nullis elataq; factis,
Arguit illitas odiosa superbia laudes
Cara nec ignauo traduxit tempora luxu,
At sibi quo magno succrescat fama labore,
Cura fuit semper sumtis & fortibus armis,
Iura soli, patriaq; decus, patriosq; Penates
Afferit, & nocuo, fortis defendit ab hoste,
Et simplex, fideiq; tenax, opibusq; paternis
Contenta, haud vano voluit splendescere honore,
Vel se, cum poterat, titulis praeponere auitis.
Scilicet humane sortis memor, omnia casu
Continuo labi, magnis quae viribus olim,
Fulta diu, sortis nullam sensere ruinam,
Quaeq; sit, & fuerit quondam, cum silua, rudisq;
Terra foret, premeretq; sua vestigia laudis.
Haecenus o Muse veteris praeconia gentis,
Clarq; praeterito cecinistis facta sub auro,
Iam mihi quid praesens (& vos haec gloria tangit)
Pustulet urbis honos, largo concedite versu,
Quantaq; magnanimos ornet sapientia patres,
Qua vigeat celebri splendens respublica sorte,
Qui populi mores, & quae reuerentia legum,
Quod decus, & virtus, quae nostris fama sub annis
Et qui splendor opum, largis quae gratia venis.
Omnia Calliope, non dicta cupidine laudis
Commemora propria, nec veris adijce falsa,
Vllius inuidiam ne fors videre mereri.
Tu quoq; da veniam cupida praeconia Muse
Qui legis, haud lego vana loquor. non auribus apta,
Non vigeat terris, ac ipsis notior astris
Fama vetustatis merum, vitaeq; probata,
Et decus in cunctis, & pulcra modestia rebus,

Degener haud unquam maiorum facta suorum,
Urbs nec deseruit veteris vestigia stirpis,
Tempore nimirum quoque nunc excultior isto,
Quae virtute noua, proprijs & laudibus auxit,
Inuiolata suae seruat praeconia fama.

In primis sacri sapientia pectore caetus,
Insignes virtute viros, meritisque colendos,
Quos graue iudicium, iusta censuraque legis,
Quos pietas, quos sancta fides, quos gloria, virtus,
Quos decorant mores, quos clarum nomen honestat,
Laude feram merita. quis enim negat esse beatas,
Et florere diu letis successibus vrbes,
Illis cum superi tales tribuere magistratos.
Exulat hinc tristi vecors discordia vultu,
Hinc lites fugiunt, dubijque insania belli,
Nil hic perfidia virus, nil liuor acerbus,
Insidiaeque valent, nihil hic effrena potestas,
Secretis odijs, aut vi designat aperta.
O nimium felix, o terque quaterque beatum,
Illa praecipue Fribergum nobile, dote.
Hac tua quo tollam merito praeconia uersu,
Quae tibi conscripti meliori stemmate patres.
Praclaris pariunt factis, & laude perenni,
Seq, tuumque simul tollunt super aethera nomen.
Hic viget ex omni decoratus parte senatus,
Iudicio praestans, & rebus dexter agendis,
Ingenio felix, nimia non fronte seuerus,
Aut nimium facilis, scelerati criminis ultor,
Et virtutis amans, vicijs imponere poenas,
Doctus & egregijs sua reddere premia factis,
Iudicio probitas, pietas adiuncta fauori,
Nemo nec hic lasus queritur, corruptaue donis,

Curia eo
senatorij
ordinis
dignitas
et in om-
nibus caus-
is iudicij
rectitu-
do, et cen-
surae a-
quitas.

Aut

Aut opibus miseros plectit sententia ciues,
 Nec sua diuitibus quicquam hic opulentia prodest
 Nec sua pauperibus nocet hic feralis egestas,
 Tota sed æquali floret Respublica sorte,
 Non humilis, vilisne iacet, non obruta virtus,
 Paupertate gemit, queritur vel languida fastu,
 Tum quoq; ne grauius felix respublica damnis,
 Siue repentino doleat lacerata furore,
 Prouidet haud temerè doctorum turba virorum,
 Quas patria commissa salus, communis & urbis
 Viilitas, liuor, quorum clarissima fastus,
 Non rupit, plebis nullo neq; fulta fauore,
 Sed virtute sua, licitis & pectora factis:
 Pectora Thespiacis quoq; non inimica Deabus,
 Ductaq; Castali per dulcia murmura fontis,
 Diuinos hausere lacus, gratosq; liquores,
 Et se Pierias simul excoluere per artes,
 Qui modo præclaris moderantur legibus urbem.
 E multis aliquot, quorum viget inclyta virtus,
 Vt referam: meritas debet respublica grates,
 Clare tibi Michael, pulcras qui iura per artes,
 Et totam decoras sacratis legibus urbem,
 Tu facis ut vigeat communis cura salutis,
 Tu facis egregiè decorent ut singula mores,
 Atq; vigil semper, quid res desideret urbis,
 Prospicis, & quicquid fallax fortuna minatur,
 Consilij matura tui prudentia vincit,
 Scilicet Aonio dudum nutritus in antro,
 Monte sub & bifido doctus consultus Apollo,
 Iam quoq; consilij pectus sapientibus ornat,
 Atq; Pericleo fundit tibi verba nitore.
 Tu quoq; qui fasces altos, magnumq; tueris

Doctor
 Michael
 Jeger
 Syndicus

*Vrbis opus, claro proauorum stemmate natus,
Quod tulit Albechiam veterem sub sydera gentem,
Grate Deis consul, quo summa super stite rerum
Stabit, & haud aliquo recidet quassata tumultu,
Cui virtus, cui sancta fides, cui publica cordi
Vtilitas, cunctis quem sancta modestia rebus
Euehit, & morum suavis quem regula tollit.
Ille decus patriæ, præclarum sydus & vrbis
Fribergi, dubio quem non fortuna fauore,
Nec sequitur ficto plebis reuerentia vultu,
Ille suos ciues patrio complexus amore
Adiuuat officijs, & rebus tollit egenis.
Adde quod Aonios colit, & Permesidos amnes,
Castrag, prosequitur quicumq; Heliconæ secuti,
Muneribus largis, etiam quem candida Pallas
Ornauit studijs, & fandi præbuit artem.*

*Te quoq; Pieridum cultor, fautorq; sororum,
Quid memorem præclare Graui, constantia maior,
An virtus, dubium, te rebus in omnibus ornet.
Tu quoq; præclaris decoras hanc laudibus urbem,
Nec tibi cura leuis, magno quo publica fructu,
Commoda succrescant, miseros ne noxia ciues
Damna premant, magnæ toties quæ depulit urbi,
In tua diuersis solertia cognita rebus.
Ingenium felix, animi tranquillâq; magni
Vis, fortisq; vigor, causas defixus in omnes
Præuidet, incautam ne sors fera terreat urbem,
Scilicet hinc requies, cunctis hinc gloria rebus,
Splendor diuitijs, & surgit fama decori.
Hunc quoq; dictiloquæ duxere per arua sorores.
Clara Meduseum fecit quibus vngula fontem,
Has fouet, has ornat, mansurum nomen in annos,*

Dominus
Andreas
Albeck
Consul.

Do Ma-
gister Va-
lentinus
Grauius
Decima-
rius Prin-
cipis, &
præfatus
erario.

Hinc

Hinc habet aeternos, Grauium non nesciet aetas
 Aonij latices, atq; Hippocrenides vnda,
 Donec erunt, supera donec vescetur & aura,
 Inuida pauperies, Musis & Apolline dignos
 Vitabit, sanctosque lacus, aut Phocidos amnem
 Nulla (modo uiuat longe) siccabit egestas.
 Te quoque Lorenti curis, fidoque labori
 Implicitum, quando tractat quas Curia causas
 Perpetuis mandas chartis, auoq; reponis,
 An nostris taceam Musis? te plurima virtus,
 Tollit, & ingenuus tua vestit pectora candor.
 Sunt placidi mores, gratis studiumq; merendi
 Quemlibet officijs, doctis & pectora Musis,
 Ornasti, primis dum fata tulere sub annis.
 Singula sed clari praestantia pectora cætus,
 Enumerare meis, nimium res longa, Camænis.
 Plurima pretereo, quæ Pallas & inclyta virtus,
 Commendat, quorum multis industria rebus
 Cognita, præclaris decorat virtutibus urbem,
 Namq; omnes pariter studium in commune laborant,
 Vt patrie tranquilla salus, ut floreat urbis,
 Semper honos, & opes, sua non araria vulgi
 Implentur damnis, sua non odiosa potestas.
 At secura quies, nullis suspectaq; rebus.
 Dijs similes, tantam claris qua legibus urbem,
 Et fortes regitis tranquilla per otia ciues.
 Dum vagus immenso præbebit lumen Olympo,
 Inq; vices surget diuerso sydere Titan.
 Et vaga consuetos iterabit Luna meatus,
 Vester honos stabit, cæliq; sub ardua magnum
 Sydera, Fribergum tollet, Diuisq; receptos,
 Non cessatura tollent vos laude nepotes.

Lorentium
 Lanco.
 vrbis à
 secretis.

Diximus

Diximus egregium virtus quæ magna Senatibus
Euehat, & licitas hinc duxi carmine laudes
Vrbs generosa tibi, referam nunc maxima porro,
Munera diuini, quæ flores inclyta verbi,
Sed laus, & decus hoc humano carmine maius,
Et nostro nequit ore cani, quis talia verbis
Exprimeret? vel dona satis saluantia mente
Commemoret grata? cælo quæ protulit alto
Ille sator mundi, vitæ & melioris origo.
Non mihi si linguæ centum, centum ora sonarent
Et sonus è buccis flueret mihi ferreus, aut si
Flumina Meonide hausissem cultissima vatis,
Nec mihi grandiloqui flueret si vena Maronis,
Aut Arpinatis præstans facundia Marci,
Diuini amplecti possem præconia verbi,
Quo sine nulla salus, & quo sine nulla voluptas,
Quo sine non requies, & quo sine conscia mentem
Crimina concutiunt, Stygios pariuntq; dolores.
Quo sine vita feris, nigraq; simillima morti
Quo sine, quicquid agas, excelsi rector Olympi
Non probat, & leuibus vanescunt singula ventis,
Quo sine, quæ rutuli circumdat machina mundi
Non habitura suum langebunt omnia robur,
Vsque adeo prodest, diuini munera verbi
Scire, tot angusto conferreq; pectore dona,
Quæ cælum possessa ferunt, quæ denique Diuos,
Mortales faciunt, & nos lucrantur Olympo.
O vnum ante alias Fribergum hac dote beatum,
Dum tua de priscis sunt eruta corda tenebris,
Et complexa fouent munus non segniter illud,
Tu templis amplumq; tuis, cultisq; superbum
Pectoribus, sacri tibi quæ mysteria verbi,

Depromunt,

Ecclesie
Dei dili-
gens in-
spectio, et
verbi di-
uini cul-
tus & ho-
nos, &
minist-
rum re-
uerentia.

Verbi
Dei vti-
litas &
amplitu-
do.

Depromunt, plebèmq; rudem conuèrtere tentant,
Et sceleris veniam deuota mente precari,
Vocè pia hortantur, prauàmq; relinquere vitam,
Mundatìsq; student contagia demere terris:
Nec sine fruge volant, diuini semina verbi,
Sed fera, luce noua siccunt, & corda serenant.
Vrbs, & præcipua fuerat quod laude vehendum,
Relligionis amans, & sacro dedita verbo,
Vndiq; concurrit, dum pendula turribus altis
Aera sonant, operas infecto & sine relinquit.
Et pia saluisico præbet sua tempora Christo.
Et commissa dolens labantis crimina vita,
Offert pura Deo corda, exoratq; precando
Delicti pœnam, summìq; affectat Olympi,
In terris iter, & miseri sub carcere mundi:
Præcipuè festis studium hoc ardere diebus,
Aspiceres, densam vix templa patientia turbam,
Accipiunt, nullas tunc hic resonare tabernas,
Ebria vel spreto spectes conuiuia verbo.
Et seruire DEO, ne mentes lubricus error
Decipiat, cogatue nefas, labor omnibus vnus,
Hic sed diuini spargis qua semina verbi,
Docta cohors, nostro ueherem tua nomina versu,
Sed superant tenues præconia tanta Camænas,
Incumbuntq; tibi summo qua munera cælo,
Mortales superant laudes: & dicere quanto
Inuigiles studio, sacri dum dogmata verbi,
Atque salutis iter pandis, me gloria terret.
At tu sydereo quam solum misit Olympo,
CHRISTVS, vt in terris hic noxia corpora saluet,
Purgatàsq; animas ad sydera celsa reducat,
Perge precor, veneranda cohors, maiorq; summo.

H

Qua

Qua malè dat tellus, tibi spera premia cælo.
 Alta metalliferas vrbs inter gloria sedes,
 O decus, ô patria syâus venerabile terra,
 Ceu facis vnigeni cupidè mysteria verbi,
 Assere, perpetui tibi stabit gloria facti,
 Altâq; stelliferi sic scandes limina cæli.
 Ne, secura mali, peruersa despice mente,
 Quid cultus, quid verus honos, quid gloria CHRISTI,
 Postulat, hæc miseris etenim spes vnica rebus.
 Scilicet & per te, nec opus monuisse fatendum est,
 Hoc facis, & sacro verbum veneraris honore,
 Niteris & magno diuina Ecclesia fructu
 Surgat, & ingentem latè se pandat in orbem,
 Tûq; viros, populo qui talia dogmata spargunt,
 Sumtibus eximijs, meritis & honoribus auges.
 Qua tibi pro tantis tribuam præconia factis?
 Quog; tuas laudes hoc propter carmine tollam?
 Scilicet astriferi pretium te nobile cæli,
 Et manet in terris æterni gloria facti.

At nunc in herbem studeas qua laude iuuentam
 Aetatemq; rudem seros producere in annos,
 Et quantis ornata viris, quos illa fatigat,
 Cura (tuum leuiter res hæc non tangit honorem)
 Expediam. Doctis Fribergum nobile Musis,
 Faut, & ingenti semper prouexit honore,
 Productas Helicone Deas. & mite relictis
 Hospitium tribuit, pulsasq; in tuta recepit.
 Vrbs doctis decorata viris, ex Aone Musas,
 Hic grata audiuit sibi carmina fundere voce,
 Et mulcere pio montanas carmine Nymphas,
 Argute resonant simili cum voce fodina.
 Carmina iamq; vigent hic quæ cantauit Apollo,

Fribergiq; quis.

Bonarū
 artiū cu-
 ra & p-
 motio, et
 diligens
 iuuentis
 institu-
 tio, et quæ
 bus doctis-
 simis cla-
 rissimisq;
 viris
 vrbs Fri-
 bergū se-
 per vi-
 gnis.

Fribergiq; ferunt altum super aethera nomen,
Ragius hic, toties quem Philyrreus Elister,
Miratus placidos, iussit requiescere fluctus,
Et post inuidia pulsum discedere fleuit,
Insignis Graias, Latias perdoctus & artes:
Ragius ingenio prestans, & carmine felix,
Lumine quem functum Clarius defleuit Apollo.

Ioannes
Ragius
Aesti-
capiannus

Quidue Mosellanum, quo vix praestantior alter,
Informare pijs iuuenilia pectora Musis,
Commemorem? nostras una qui duxit in oras
E Latio Musas, triplex quem lingua probauit.
Ille Mosellanus Fribergo cognitus verbi,
Cuius ab eloquio decus indelebile fertur,
Ingenio notus, doctrina notior omni,
Qui decus, ex Musis & premia digna recepit.
Nam memor insignes laudes, & clara vetustas
Ingenij monumenta sui, laudesq; perennes,
Seruat, & eterno celebranda reponit in aeuo.

Petrus
Mosellanus

Tu quoq; clare Sobi, cui magna Colonia primum
Vitales auras, & lucis praebuit usum.
Tu quoq; magnanimi relinquens littora Rheni,
Fribergo gaudes studijs clarescere in urbe.

Iacobus
Sobius
Colonien-
sis.

Hic ego te Riu taceam clarissime, cuius
Fama viget, longo nunquam peritura sub aeuo.
Hic quoq; tu claras artes, studiumq; trilingue
Prouexit, qui Rhetorica praesignis in arte,
Grammaticaq; potens variantia flectere verba,
Et Logica argutos facile dissoluere nodos.

Ioannes
Riuus
Aschen-
doriensis.

Hic ego Fabricium? quem non aut Thracius Orpheus
Vinceret aut Thamyras, docto cum pectine Musas
Pulsat, & Aonium fundit per secula carmen:
Qui Fribergiacam produxit in arua iuuentam

Georgius
Fabricius
Chen-
nicensis ex-
cellens Po-

Aonidum, primusq; leui certare Thalia
 Iussit, & argutas versus ediscere Nymphas,
 Magna metalliferi penes est quas gloria montis.
 Huic ego, Pierij prestans qui gloria fontis,
 Et noua Castalidum qui surgit fama sororum,
 Non etiam tanta ferrem praeconia laudis?
 Quem Phabus Lauro, Pallas decorauit oliua.
 Cuius fama volat, Latias memoranda per vrbes,
 Cuius fama volat, qua noscitur Albis & Ister.
 Castalios latices, quiq; Hippocrenidas undas,
 Ausonijs rediens non solum duxit ab oris,
 Sed quoq; seruauit quacunq; annosa vetustas,
 Ingenti studio, magna inquisiuit & arte,
 Hinc illi aeternae modo stant praeconia fama,
 Hunc vos aëria quae sursum surgitis Alpes,
 Illum Ticinus, tumidisq; Alpheus in undis,
 Hunc Arethusa fuit toties mirata canentem.
 Quem nunc Teutonicis senior miratur in agris
 Albis, & exili vix cognita flumine Misna.
 Misna decus Patria, Nymphorum gloria Misna,
 Si tibi non largo panduntur littora cursu,
 Vixq; tegas summas, vix noto flumine terras,
 Et vix in tenuem pateas sine gurgite passum:
 Attamen arenti nunquam siccaberis aestu.
 Cum premit astriferum Titan calidissimus axem,
 Sauus anhelantes atq; vrit Sirius agros,
 Igniferoq; globo flammantis terga Leonis
 Deprimis, & caelo furit inflammatus Orion:
 At neq; tu casu, rapido nec solis ab aestu,
 Deficis, aeterna similis tibi profluis aluo.
 Oriaq; Misniaca de te clarissima terra,
 Nomina per totum seruas notissima mundum.

Misena
 valde ex
 iguus ri-
 uus qui
 vortiditi-
 oni nomē
 tribuit.

Hic

Hic quoq; præstantem simili quid laude Siberum,
 Extollam? tanto fuit hæc quoq; clara Poeta,
 Vrbs ô doctiloquis nimum dilecta Deabus:
 Hunc quoq; Castalio diuæ fouère sub antro,
 Et trina Charites, & carminis autor Apollo,
 Ingenioq; altus, suauis Musasq; lepore
 Miscet, & aterne querit sibi nomina fama.
 Huic & laude chelys cedit Peneia vallis,
 Hic licet Amphion, vel certet carmine Linus,
 Illius & Musæ quando cadit ista, peribunt,
 Quæ tenet impositum validissima machina mundum.
 Hos ego præclaros quo digner honore Poetas?
 Sunt iuncti patria, sunt iuncta carmine vires,
 Insignes ambo, præstantes laudibus ambo,
 Et cantare pares, & suaves reddere voces.
 Tempore, & hos vno, Parnassi in rupe vagantes
 Vt videt, alloquitur Musis comitatus Apollo:
 Crescite, Chemnicij iuuenes, mea crescite fama,
 Crescite, Castalij decora immortalia fontis,
 Hæc mihi concinnant quæ docta laurea Musæ,
 Vestra coronabunt cultissima temporaserta,
 Famaq; Teutonicis vos magna sequetur in oris.
 Docte salutiferi mysteria promere verbi,
 Tu VVellere meis intactum linquere Musis,
 Non decet, eximia es qui nunc venerabilis vrbe,
 Cum tua dexteritas iam longos nota per annos,
 Excudit unigeni sapienti pectore verbi,
 Dogmata, Relligionis opus, caraq; salutis,
 A solitis seruat nebulis, turpiq; veneno,
 Hostis quod varia subducere nititur arte,
 Vine diu felix superum diuine minister,
 Tardus & astriferi transcendas limina cæli.

Adamus
 Siberus
 Chemni-
 censis in-
 signis
 Poetas

Doctor
 Hieronymus
 VVell-
 lerus ex-
 cellens
 Theolo-
 gus.

H 3

Hæc

Hac quoque qui teneram iam format in urbe iuventam,
Atque refert Coi praclarum nomen Apellis,
Doctrina grauitas, commendat & in inclyta virtus,
Insignem duplici lingua, quem laeta docentem
Audit, & ingenij miratur flumina pubes,
Illius & casti, iuuenilia pectora, mores,
In decus omne trahunt, exemplaque clara secuta,
Cum pietate bonas discunt non segniter artes:
Cuius sedulitas iam plures nota per annos,
Huc pubem allexit varijs ex urbibus amplam
Præceptis qua laeta eius, monitumque fideli,
Discit honoratas, studijs ingentibus artes.
Ecce per immensas imberbis turba plateas
Insonat, atque stirpem foribus, victumque canendo
Flagitat, & faciles ad talia munera ciues,
Sustentant largo iuuenum misera agmina victu,
Omnis & utilibus versatur in artibus ætas,
Instauratque suum Musis decus: hæc simul urbem,
Immemores nunquam, mansuris laudibus ornant.

Salve vrbs, qua reliquis tantum virtutibus addis,
Vna quod Aonidum, nostro qua turba sub æuo,
spreta nimis, depressa malis, nec honoribus aucta
Diceris esse salus: liceat mihi dicere verum,
Qua magis Aonidas foueat, vel reddat honorem,
Exulibus, nullam prælustris Misnia gentem
Continet, hinc sero stabit tua gloria in æuo,
Et tibi mansura pariet præconia fama.
Quam tibi longa dies, nec secla cadentia dement.
En breuis hora potest rapidis absumere flammis,
Quanta metallifera gignunt tibi munera valles,
Qua venit ex Musis omni tibi fama sub æuo
Permanet, & vincit stolidarum fata sororum.

D Magi
ster Valē
tinus Ap-
pel, ar-
tium &
iuuentu-
tis guber-
nator.

Friber-
gū sem-
per Mu-
sarū ho-
spitium
fuit.

Adde

Adde quod Aonidum virtus defendit honestas,
 Moribus & decorat claris, & legibus vrbes,
 Nec cito casuram florens respublica sortem,
 Sustinet, Aonidum praclaro munere fulta.
 Languet & innumeris vix se regit, obuia fatis,
 Cum Musa fugiunt, & spretus cedit Apollo.
 Musa magistratus aptas proponere leges,
 Musa docet ciues legi parere feroces,
 Musa rudes mentes, docet & mansuescere mores,
 Musa tamen nostro, scelus heu, contemnitur auo.
 Quisquis es, & tristes hac tempestate Camænas,
 Excolis esuriens, fallacis premia vulgi
 Despice, nec studijs assuetum ferre laborem
 Pœniteat, quamuis tantum laudare disertos,
 Sed numerare nequit, nostri mos improbus aui.
 Post ubi desieris mortalem ducere vitam,
 Præmia felici referes ingentia fructu.

Iam quales populi mores, quæ gloria ciues,
 Qui labor & studium capiat, qui cuncta decenter
 Fiant, & pulchrè tota seruentur in vrbe,
 Praclarumq; genus vitæ, moresq; verendos,
 Me iam veriloquis fas est describere Musis.
 In primis claros facilis concordia ciues,
 Et firmat communis amor, nil dira nefandi
 Ausa est inuidia, aut proprie contraria sorti,
 Læsa vel alterius, damnis immitibus ardet.
 Plebsq; magistratus cultrix, non tentat acerbas
 Insidias, seuoq; urbem confundere motu.
 Obsequiosa graues queritur nec murmure fasces.
 Quicquid & urbis honos, & publica fama requirit.
 Omnibus vnanimi pendet sententia mente.
 Et quod præcipuam meret hoc in carmine laudem,
 Non

Ciuum
 cōcordia
 & morū
 insti-
 tio, & in
 omnibus
 rebus ve-
 nustas &
 ordo con-
 ueniens.

Non hic elatas vesana superbia mentes
Fœdat, vel vestis pulcro prælata decori,
Nullaq; luxuriam, vel suadet copia fastum.
Heu nimium confise tibi turpissime fastus,
Indocilis pestis: Pluto pater ipse sub imis,
Te genuit terris, pectus faciemq; veneno,
Indomitum maculans, hinc turpes concipis astus
Cum tibi præpositum fama, vel cernis honore.
Hic procul exclusus, claram non inficit urbem,
Illa lues, vero nec vecta modestia calle,
In metis heret proprijs, non pectora sumptus,
Vestitusue nitore, vel inanis gloria fran git.
Deside nec vita marcent, intenta labori,
Otia deuitant, dira & torpedinis artem,
Atq; metalliferas fodiunt sine fine galenas,
Durum opus, in lapides, & terras mersa profundas,
Præmia sollicito querunt, victumq; labore,
Cætera pars alias, quas sors dedit excolit artes,
Et studijs intenta suis, ignorat inertem
Luxuriam, turpemq; gulam, quæ corpora primum,
Suauiter infuso solet eneruare veneno,
Hinc plus Circeis mentes effeminat herbis.
Exulat hinc etiam, ne mens circumflua luxu,
Deijcit in turpes præstantia pectora mores.
Docta sed illiâ vitium vitare pudore.

Nullaq; laxato damnosa licentia freno,
Per scelus, & fraudes pulcris virtutibus obstas.
Quilibet hic propria conseruat munia vitæ,
Pro se, proq; suis, & non aliena tuetur.
Atq; metalliferas qui docta indagine venas,
Excutit, hic suetis sub terra clauditur horis.
Non opus hoc requiem feruens, non pigra requirit,

Non

Non fert assiduo repletaq; pectora vino.
 Laudibus hinc decorat totam frugalior urbem,
 Vita Sophoclea vel laude vehenda caterua.
 At cum fessa iuuat sumto recreare Lyao
 Pectora, non luxus, non milleg; fercula mensas
 Exonerant, Cereris, non inconcessaq; Bacchi
 Copia, sed pulcro conuiuia sobria more,
 Cum lusu, varijsq; iocis, suauiq; frequentant
 Sermone, & plenis vacuant non pocula buccis:
 Non hic dira suas ars potatoria laudes,
 Seu meret inuerso decus exitiale pudore.
 Quis DEVS ò Musa, nobis hanc intulit artem?
 O per Teutonicas nimium notissima terras,
 Qua scelus antiquis, sed nostris gloria seclis,
 Vsq; adeo veterum nulla est reuerentia morum.
 Illud amicitia decus, & venerabilis usus,
 Nunc (dolor) hac turpi penitus consistit in arte,
 Hanc qui non didicit nostro contemnitur auro.
 Quis scelus hoc primum nostras inuexit in oras?
 Non pestis, bellumq; ferox, non mille pericla,
 Fortia liuenti tot sternunt corpora morte,
 Quot (dolor) illa lues: tacito qua pectora morbo
 Rodit, & instantem mortem furiosa voluptas
 Dissimulat, proprioq; homines seruire dolori
 Cogit, & innumeras pestes in viscera condit.
 At neq; Fribergo penitus dominatur in urbe,
 Hic non arce sedet, doctis contraria Musis,
 Hic esse atq; aliud, magnus proclamat Apollo,
 Viuere quam bibere: infelix qui talia surda,
 Perniciem, pestemq; serens sibi, despicit aure.
 Hac quoq; Teutonicis vix est humanior oris,
 Vrbs aut hospitibus grato officiosior usu,

I

Ebrietas
est incom-
moda.

Humani-
tas civitatis

Ans

*Aut virtute magis, placido aut mansuetior ore.
Si me quo cuperem, grato sors lubrica portu,
Sisteret, ante alias ista mihi visus in vrbe
Et locus, & studijs requies florētibus apta.
Hic populi candor, non hic ingrata voluptas,
Hic morum species, animo gratissima nostro:
Hic me non rigidi iactatum turbine fati,
Pierios inter cantus, doctasq; sorores
Opprimat, adueniens tranquillo sine senecta.*

*Hac ego de multis quibus vrbs clarissima donis,
Nostra viget cecini, cecini sed singula recte,
Dona sed aternis decorant quae laudibus vrbes,
Et mansura vigent non vllis obuia fati,
Quae sors nulla leuis, sed magna industria mentis,
Magnorumq; tulit solers prudentia patrum,
Quos haec cura mouet, tanta respublica dote
Vt vigeat, nomenq; vrbis super aethera tollat.
Nunc decora instabilis perstringam plurima Diuae,
Quae non firma vigent, leuibus pereuntia caussis,
Laudibus extollant quamuis ingentibus vrbes:
Et quorum utilitas famam spectata minorem
Non meret, humanis siquidem quae gratia rebus,
His foret ablatis: Postremum hunc Musa laborem
Concede: humane iuuat oblectamina mentis,
Atq; venustatem rerum, formamq; decoram,
Et decora inceptis hic mille vehenda Camænis,
Inspicere, & claram structura laudibus urbem.*

*Principio caeli iacet vrbs regione sereni,
Aëris hic tractus clemens, non luridus Auster,
Aut tepidi zephyri morbos, pestesq; feroces,
Aut spirat nocuum corruptior aura venenum.
Vix aëtam, quâ se bellax Germania pandit,*

*Friber-
geusium*

*Lam
vrbs à
Clémentia
caeli, &
aëris sa-
lubrisato*

Turba

Turba adeo fausta ventorum personat aura,
 Scilicet hic nullus terris exhalat ab imis
 Humor, nec putres siccantur sole lacuna,
 Non cælum nebulis, famatq; palustribus undis,
 Quæ terris pestem gignunt, corpusq; veneno
 Inficiunt, solide subter stant undiq; rupes,
 Et super oppressos exurgunt mœnia colles.
 Quæ tamen in gelidis effossa foramina terris,
 Huc illuc tendunt, nullo hæc fœdata veneno,
 Producent nocuas Austris spirantibus auras,
 Aut impuratis replent loca proxima venis,
 Totius atq; metalliferi purissima moles,
 Corporis, infestos nunquam exhalare vapores,
 Sulphureum, piceumue solet producere odorem,
 Sed dura interior, puris compactaq; saxis,
 Tellus, & tenues riui, lymphæq; salubres,
 Per puros tenui labuntur murmure calles.
 Hinc neq; mirandum, quod si clementior aër
 Exurgat, Janoq; iuuet robusta vigore
 Corpora, & egregias mentes, moresq; venustos,
 Cordaq; consilijs gignat prudentibus apta.
 Scilicet humane iuxta vaga sidera mentes,
 Temperiemq; poli (subit experientia testis)
 Assumunt varios mores, rebusq; creatis,
 Motibus ambiguis, rector dominatur olympus.

Nunc si structura formam, cultumq; venustum
 Commemorem, pulcrasq; domos, latasque plateas,
 Et vicos amplos, & qualia milie sub auras
 Erigit, egregijs splendentia culmina, rectis,
 Illa venustatis meritam latura coronam,
 Et cultus, habitura decus, supereminet omnes,
 Misnia prælustres quas fortis continet vrbes,

Pulchritudo
 do vrbes,
 & edifi-
 ciorum am-
 plitudo
 & venu-
 sta.

Et licet in cineres duri vis aspera fati,
 Hanc toties vertit, claras & funditus ades,
 Hausit auara lues, terrisq; equauit opacis,
 Nunc tamen innumeris tectis, altisq; superba
 Turribus, haud aliquas flamma tolerasse ruinas
 Apparet, semper domibus qua pluribus aucta,
 Maiori & cultu superas surrexit in auras.
 Structura at totam molem, pulcrumq; laborem,
 Pluraq; magnanimam, quae carmine digna per urbem
 Esse videbantur, tenui comprehendere Musa
 Quis poterit? sed sicut apes per rura vagantes,
 Non omnes gustant herbas, & floris olentis
 Praecipuo dulces carpunt è germine succos.
 Sic neq; cuncta meis, quibus vrbs clarissima tectis,
 Splendet, & aërias turres quot iactat in auras,
 Dicere conabor, nec si mihi præbeat omnes,
 Quas Helicon effundit aquas, Pimpleia rigentem
 Restinguatq; sitim, tot claras dicere formas,
 Visendasq; vices rerum, quae cuiq; voluptas
 Innumerasq; queam species, cultusq; domorum
 Pierijs aquare modis, cum obit omnia visu,
 Mens defessa prior, sat si contingere possem,
 Hac quae praecipuas non vno munere laudes,
 Et meruere sua decus indelebile dote.
 Eminent imprimis, pretiosis curia signis,
 Sedibus & varijs distincta, sedibus ampla,
 Et Pelusiaco vultus splendere colore
 Parietibus cernis nitidis, & pulcra Sophorum,
 Dicta simul, priscis virtus quae iussit in annis,
 Maiestate locum, sacroq; replere timore.
 Hos est cura sequi, qui nunc quoq; fascibus urbis,
 Utuntur, virtute sua, quos moribus equant,

Curia

Magnaq;

Magnaq; prateritos prudentia colligit annos.

Hic prope litigosa fori loca, raucus eumentum, **Forum.**
Vendentum & strepitus, patulas hinc semper ad aures
Fertur, & humana quicquid consortia vite,
Dotibus exposcunt, nostra non desit in vrbe.
Hinc quoq; diuersas mercator tendit in oras,
Et varias infert merces, qua laudibus urbem
Hanc etiam extollunt, magnis & fructibus implent,
Quas sibi priuato dum quisquis comparat usu,
Plebs numerosa forum complet, comprehendere turbam,
Et loca vix possunt, porta, pleneq; platea,
Omnes & vici, Quid culta noualia dicam?
Aut quid ruris opes? hinc gratam creber in urbem,
Rusticus auulsos portat de matribus agnos,
Caseolos, butyrumq; bonum, vitulumq; bimestrem
At quid vicina memorem tot munera villa,
Et quaecunq; ferunt socia commercia terra,
Hinc non utilium decrescit copia rerum.

Hic quoq; tot cultas circum fora surgere sedes,
Et picturatis splendentia tecta figuris,
Inspiceres: totam construxit Dædalus urbem.
Et quid Apellei viuum expressere colores,
Atque quibus rebus formam tribuere Myronis
Arte manus. vacua quicquid (mirabile) Pisa,
Phidiaca traxere manus, quod marmore duro,
Postibus aut Mauris, trabibusue nitentibus auro,
Praxiteles sculpsit, nostra spectatur in vrbe:
Hic quoq; sunt regum vultus, viuiq; colores,
Hic quoq; sunt ades ampla, quibus ipsa decorem
Addidit, & pulcro tinxit fastigia cultu,
Idaliog; Venus decorauit tecta nitore.
Artifices mirantur opus, cui cederet Isthmos,

Vrbibus insignis, tectisq; superbior Argos.

*At domus, innumeras quæ fundis clara monetas,
Censibus & totum cumulas ingentibus orbem,
Cui neq; latuagi quâ panditur orbita Phæbi,
Vtilitate prior, nostris celebrare Camænis,
Te iuuat, & memori tibi nomen reddere versu,
Semper diuitijs, tu nummis semper abundas,
Misniacas decoras ingenti munere terras,
Tu nihil argentum præter, fuluâsq; monetas,
Emittis, tantis orbi notissima donis,
Hic semper calidis ardet fornacibus ignis,
Argentiq; probat certo discrimine vires.
Ignea materiam vis (mirum) deuorat omnem,
Sed melior remanet post flammâs massa voraces,
Hæc ubi fassa suas igne in septemplice vires,
Fornace eximitur, formis & protinus aptis,
Stillatur candens, hinc ipsa gelata rigorem,
Duritiemq; capit, gelidis immersaq; lymphis
Emicat in cælum densa fuligine stridor.
Post ubi discessit color, & tractabilis arte,
Et manibus nudis, in tenuia frustra secatur,
Forcipibus magnis, iustis impostaq; libris,
Quanto Misniacam præstare valore monetam
Quamq; decet, iusta pendet censura bilance.
Protinus in iustas pars excudenda monetas
Cuiq; datur, magnis illi omnes viribus instans,
Ter deni numero, fortes & brachia ad ictus,
Continuant, duro resilitq; à malleus ære,
Et grandis patulas tinnitus fertur ad aures,
Et neq; Lemniacis maior fragor emicat antris,
Cum ferus Aeaciden, decorat vel Pallada donis,
Malciber, & calat prætiosis Aegida signis.*

*Domus in
qua mo-
netæ ex-
cuduntur,
& illius
vtilitas.*

*Argentum
liquefa-
ctio.*

*Mœtari-
orum of-
ficina.*

Nec

Nec sic insonuit motis incudibus Aetna
Cum Steropes fulmen, summo cum Bronte tonanti,
Flammiuomus cudit, non hic minor ictus in auras,
Tollitur, & rutilum transcendit in aethera fumus,
Et sonat aeternis, domus argentaria fabris.

Dicere quot nummos, quot miserit ista thaleros,
Hoc foret in canis Autumni tempore siluis,
Quot folia arboribus violentus decutit Eurus,
Dicere, vel denso quot crescant aethere nimbi,
Cum mouet undantem pluuiialis Aquarius urnam,
Humidus & piscis rorantes excitat hædos.

Quæ tibi pro tantis referam præconia donis
Clara domus, quanto tollam tua nomina versis?

Larga parens nummi, presentis gloria vita,

Tu Mide gazis, tu Lydo ditior auro,

Tuq; bonis Cræsi, flauo tu ditior Hermo,

Auriferog; Tago, tu Perside ditior aula,

O tibi perpetui cedant feliciter anni,

Nec tibi decrescat tantarum copia rerum,

Et quibus exornas ingentem dotibus orbem.

Iam quoq; si reliquas, quarum creberrimus usus,

Et decus, & laudem poterat meruisse videri,

Hic referam, quoq; communem laudare tabernam,

Cogor, & egregium Musis efferre macellum,

Vel quia, quod cunctis hæc publica commoda præstant,

Vel quia, quod pulcris mentes, oculosq; figuris

Delectant, reliquis magno prælata decore.

Nec minor & sacris hic floret gratia Templis,

Diuorum nec languet honos, quid culta Deorum,

Hic delubra feram? meritisq; altaria donis.

Quid vel opes sacras, stant summas alta sub auras

Gulmina, stant intus quouis decorata nitore,

Publica
taberna,
& macel-
lum egre-
gie ex-
structum.

Templorum
splendor
& ampli-
tudo.

Atque

Atque vetustatis claris celeberrima signis:
 Tempia, tot hic rerum formas, ritusq; verendos,
 Et videas priscos referentia secula mores.
 In primis magno mirabere structa paratu,
 Tempia tibi quondam sacro fumantia thure,
 Alma DEI genitrix, hac quavis arte polita,
 Diuitijsq; suis, altis ad sidera turres
 Extollunt, intus pretiosis fulta columnis,
 Hic quoq; praestantis videas monumenta Lysippi,
 Hic & Apelleas poteris spectare figuras,
 Hic quoq; Caelicolis facies non omnibus una,
 Intertexta auro, clarosq; resulget ab ostro.
 Signa quid hic memorem, nitidis suspensa columnis?
 Quidue tot infesto quaesita ex hoste trophaea?
 Hic licet incisos Heroum marmore vultus,
 Oraq; viuenti depicta videre tabella.

Hoc etiam templum, mortali lumine functos,
 Heroas veteri cretos de sanguine Regum,
 Ardua Misniaca tollunt qui nomina gentis,
 In caelum meritis, magnarum & pondere rerum,
 Continet, & notis complectitur ossa sepulcris,
 Exuuiasq; Ducum: Quo nunc ille optimus Heros
 Ille decus belli, fortunatusq; laborum,
 Mauricius recubat, tibi dulcis Turca voluptas,
 Germanis dolor, ah nullo qui desinet aeo.
 Dum lis, & rabies, & nil qua linquit in ausum
 Saeva libido lucri, Germanis seuit in oris,
 Laxavitq; fidem rerum, legesq; verendas,
 Cum pagis, vrbes ferro vastauit & igne,
 Nemo nec ausus erat tantis se opponere damnis,
 Nunc Patria pia cura sua, commouit & atrox,
 Eheu tot miseris iniuria nota coloris:

Templū
 D. Vir-
 ginis in
 quod se-
 pultura
 Misnen-
 sū prin-
 cipū no-
 stro tēpo-
 re trans-
 lata est.

Dux
 Maurici-
 us, Ele-
 ctor, qui
 p̄ patria
 fortiter
 pugnās,
 obijt in
 castris a-
 no 1553.
 X. Cal.
 Augusti:
 Conditus
 est iuxta
 Ducem

Non

Non ergo ulterius tantos succedere fastus,
Et sortem indignam, actorum memor ante laborum,
Egregiusq; animi, passus, succurrere fessis,
Et desperatis patriæ succurrere rebus,
Magnanimis tenet Princeps generosus in armis:
Hic ubi dum patriæ pietas, & conscia virtus,
Atq; ira, infestos audacem cogit in hostes
Irruere, & nudo cuneos confringere ferro,
Hic, dolor, hic demum devicto concidit hoste.
Hic tibi tantorum Princeps generose laborum,
Meta fuit, veterum flos o clarissime Regum,
Occidis, heu verna medio sub flore inuenta.
Te fleuit mærens nitidis exercitus armis,
Te fleuit patrias illustris Miso per oras,
Te magni flevere Duces, Regesque potentes.
At nunc dilecta placide requiescis in urbe
Friburgo, tumulis maiorum iuncte tuorum,
Quoq; iaces Templum tanto de funere splendet,
Et iuxta tumulum magnis suspensa columnis,
Testantur verum tibi parva trophæa laborem.
Hic vexilla nitent fuso maculata cruore,
Et feriunt vacuas ventis pellentibus uras,
Hic hasta, galeæq; hærent, ensesq; cruenti.
Vidimus heu tristem pompam, castrisq; relatum,
Effusi lacrimis, multo & mærore cadauer,
Vidimus & nigrum tot signa præire barathrum,
Oraq; nobilium crebris manantia guttis.
Salve animo Princeps audax, fortissime dextra,
Defensor patriæ: nos qua for: una sequetur?
Te, dolor, erepto, bellax Germania sortem,
An sentis tristem? sentis & mæsta perenni,
Hoc raptum luges decus immortale dolori.

Henricū
patrem,
maximè
in signi
monūmen-
to, in quo
12. tabu-
lis eiq; res
gesta per
scriptæ
sunt bre-
vissimè

K

Hunc

Hunc quemcunque tenet communis cura salutis,
Quem patria prædulcis amor, quem sancta Deorum
Relligio, functum mortali lumine flebit,
Flebit, & heu de te quantum Germania, dicet,
Occubuit, tanta miserè priuata columna.

Hic quoq; Diue, tuo dictum de nomine Templum,
Petre viget, nato comes indeuicte Tonantis
Qui fueras, donec terras habitare licebat,
Iam quoq; victorem cælestia signa secutum,
Semper in aspectu seruas, Dominumq; salutas
Actaque sublimi mortalia despicias arce.

Hic tibi præclarum, memores, cognomine Templum,
Struximus, & donis altis sacrauimus aras.

Hic ubi, quâ (mirum) dum tempora prisca manebant,

Terra nec excultos hæc dum mansuerat in usus,

Sed mons asper erat, iuxta & fera lustra ferarum,

Cruce stetit, at sacros nequaquam condita in usus,

Pæna sed obscuris, & terror furibus ingens.

At feritas nunc tota loco, montanâq; silua

Cessit, & in magnos, creuerunt lustra Penates.

Quæq; fuit turpi sedes odiosior usu,

Nunc ea opes sacras, Diuumq; tuetur honorem.

Quâ feritas horrenda prior, nunc grata voluptas,

Hic nitidas valuas, insignes cernis & aras,

Quâq; luit merita, primo, fur tristia pæne

Supplicia, hic veniam nunc exorare precando

Nititur, & votis placidos sibi poscere diuos.

Hic modo clauigeri sublimis regia Petri

Floret, & aërias ascendit culmine in auras,

Nobilitate operis, pulcro decorataq; cultu.

Cunçtaq; de niueo resplendent de saxa colore,

Ordinibus distincta suis, pulcroq; meatu.

Diui Pe-
tri Tem-
plū, nunc
eo in loco
ubi, quō-
dā cruce
furibus
formida-
bilis ste-
tit, con-
ditum.

Hic

Hic fera lustra neges, sylvasq; stetisse sonoras,
Tam locus hic faciem pulcram, traxitq; verendam
Effigiem, Diuis sacro spectabilis usu.
Haud Ephyres aliter culmen Baccheidos altum,
Creuit in Inoo pralustris & ara Lechæo.
Sic etiam Phrygijs senior cum Baucide in oris,
In quibus exiguis senuere paratibus ambo,
Mutatas videre casas, in templa Deorum,
Et tenuem creuisse focum, tectumq; salignum,
Fumosasq; fores, Tyrium traxisse colorem.

Iam quibus & reliquis Fribergum nobile donis,
Excellit, spectare licet. Per rura Boemi
Labitur eximium, iucundo murmure flumen,
Hic Fribergiacos etiam Mulda irrigat agros,
Atq; iniecta vehit fluitanti robora tergo,
Lignorum, & clara defert sine sumtibus vrbi:
Hæc eadem haud aliter, Cybiteo cognita luctu,
Hipparis insignis, Camarinis detulit oris,
Et sic Aetolis veniens Achelous ab agris,
Hæc Echinadibus per Lydia vexerat arua.
Sic etiam Pharijs hæc defert Nilus in oris,
Et Pelusiacas his ditat dotibus vrbes.
Secreta Nilus qui ducit origine nomen,
Atq; caput calat, quod non apparuit ulli.
Hæc etiam summas strepitum delapsa per Alpes,
Defert è densis generosa Druentia syluis,
Magna Tricastina surgunt ubi mœnia gentis,
Limes & appositus Vocontia separat arma.
Has etiam tantis Fribergum dotibus vrbes
Aequat, & exuperat, nam multi copia ligni,
Hic viget, exiguo cunctis mercabilis ære.

Mulda
non pcul
ab vrbe
fluium,
qui icolm
ligna ne-
cessaria è
sylua Boe-
mica ae-
fert.

At nunc magnifico spectacula structa paratu
 Quid memorem? veteri non concessura Quirino,
 Ludorum pompa, quos vrbs clarissima senuit,
 Edere septenis, immensis sumtibus annis.
 Qui non deflexo Berecynthia tympana cornu,
 Sine vagabundos, deiecta veste, Lupercos,
 Turpia vel tumidi referebant Orgia Bacchi:
 Deuoto at sacros imitati pectore ritus,
 Expressere tuos Regum supreme labores,
 CHRISTE potens, merita linguas & soluere laude,
 Et mentes iussere pias. Cum fulsit in ortu,
 Clara dies roseo, rutilo quo lapsus Olympo
 Spiritus, & sacri sanctissima pectora cætus,
 Aethereo electos impleuit & igne clientes:
 Hic tunc scena recens, pretioso structa paratu,
 Predictos ludos, Diuum & poscebat honorem,
 Et circum pompa celebris, numeroq; videntum,
 Erigitur, Tyrioq; forum resplendet ab ostro,
 Pictaq; non vno suspensa aulea colore,
 Maestate mouent, variarum & pectora rerum.
 Nec mora de varijs concurrunt undiq; terris,
 His & adesse volunt solennibus agmina sacris,
 Vix turbam capiunt ades, his excita ludis,
 Spectandi & studio, magnaq; cupidine feruent.
 Tum citò turba virum, quos tantos edere lusus
 Cura capit, nitidos induta apparet amictus,
 Quæ tribus & totis durabant sacra diebus,
 Incipit egregia spectacula promere scena.
 Ore silent omnes, stud o intentiq; recedunt.
 Dantq; locum, spatiumq; lubens actoribus amplum,
 Sacrorum & tantos gaudent cognoscere ritus.

Ludorū
 Friber-
 gensium
 integra
 descrip-
 tio, quos
 appara-
 tu ambi-
 tioso &
 maximis
 sumtibus
 singulis
 septem ā-
 nis, tribus
 vltimis
 penteco-
 stes diebus
 facere
 sunt soli-
 ti.

Tum

Tum primo, ut quondam tumidas exarsit in iras,
 Ille sator scelerum, moturus praelia Diuis,
 Innocuis, vanos ingenti pectore fastus
 Concipit, scelus heu, magnoq; inuicuit honori
 CHRISTE tuo, sibi praelatum te irascitur unum,
 Et tua maiestas, illum tua gloria tor sit.
 Nec mora, nos etiam Diui, nec vilior, inquit,
 Turba sumus, parili cur non celebrantur honore?
 Solus an ille DEI, summa regnabit in arce
 Natus? & imperium, nos & sua signa secutos,
 Legibus aeternis omni moderabimur aeo?
 Dixerat, & cellam feruens, qua forte sedebat,
 Sustulit, atq; tibi dextra de parte locauit,
 CHRISTE potens, tantos ausus contemnere honores,
 Et se dissimilem tanto praeponere Regi.
 At non indignos fastus, pectusq; superbum
 Pertulit ille Deum genitor, mundiq; creator,
 Excitus atq; ira, nati defendit honorem,
 Apprehensumq; Ducem summa deturbat ab arce,
 In Stygias & trudit aquas, noctemq; perennem,
 Dumq; ligat rigidis ingentia colla catenis,
 Hec super insultans regalibus edidit iris,
 Scilicet hoc fuerat nostrum contemnere natum,
 Ut nempe aeterno doleas combustus ab igne,
 Laticiaq; expers, horrenda inglorius aula,
 Hic ubi perpetuas gignit nox dira tenebras,
 Crimine pro tanto cuncto mœrebis in aeo,
 Nec tibi festiuus post hac inseruiet aether.
 Sic ait, & socios scelus exitiale secutos,
 Deturbat simul, hi flentes per inania lapsi,
 Aeternam relinquunt lucem, & stellantia caeli
 Culmina, Cocyti nigras tenduntq; sub undas.

Hei mihi cum socijs, quantum mutatus ab illo
Tempore, sublimes retulit cum nuper honores
Lucifer, innocuus caelestis Spiritus aula,
Nunc malus, & quantis fuerat virtutibus auctus,
In tantum creuere scelus, conuersaq; corda,
Spurciciem traxere malam, cunctasq; malorum,
Et scelerum causas, & qui modo mille labores,
Et fera mortales infestant crimina mentes,
Sic ubi detrusus, caeli & priuatus honore,
Infremit horrendum, causas queritq; nocendi,
Et ius in superos nullum fuit, ocyus imas
Infestat terras, hic nostrae semina stirpis,
Condita vix fuerant, Iuuenis cum coniuge Adamus,
Cesserat inq; locum pulsi, res protinus iras
Hac acuit, naetusq; locum, causasq; nocendi,
Iam ratus, hos astu diro peruertere tentat.
Et dirum procedit opus, fraudesq; nefandae:
Ausq; supremi leges violare tonantis,
Et mulier, seros vitio hoc damnare nepotes,
Eheu prohibitum decerpit ab arbore pomum.
Mox Paradisiacis hominem depellit ab hortis,
Et iubet innumeros vitae tolerare labores.
Angelus & stricto conseruat limina ferro,
Quis semel egressus, sed non rediturus Adamus.
Tum pars, praereptas homini quae reddere dotes,
Grataq; participem, mandant in regna locare,
Plurima depromit, sacrorum oracula vatum,
Quae suscepturum pura de virgine carnem,
Laturumq; docent, nostra mala crimina vitae,
Illum, qui summi genitus de mente parentis,
Non dedignatus miseris inuisere terras,
Perdita, stellifero lucrari & pectora caelo.

Hæc

Hæc pars ludorum, primæ & fuit actio lucis,
Instructiq; sacro referunt hæc omnia gestu,
Insigni pietate viri, similemq; figuram,
Longo iam lapsis his addunt tempore rebus.
Altera lux roseo, primo cum fulsit in ortu,
Scena iterum, ludiq; vocant, spectare parati,
Atq; agere ingenti concurrunt undiq; plausu:
Tunc ut stellifero CHRISTVS delapsus olympo,
Vagijt in cunis, tulerit quos ille labores,
Captus, & iniustum ceu sistitur ante tribunal,
Ut virgis casus, quas gesserit ille coronas,
Et fera quæ seue tulerit ludibria gentis,
Omnia sub formis, habitug; geruntur eodem.
Atque hic erigitur summas crux alta sub auras,
Affixumq; DEVM populis spectantibus offert.
Traiectusq; pedes, palmasq; immaniter ambas,
Omnipotens proh ille DEVS, mundiq; creator,
Hoc hesit ligno, tali caput inclinavit,
Heus strato, tali lectus fulgebat ab ostro,
In quo rex mundi, summiq; pependit Olympi:
Stant mæstæ Isacides circum, stat mæsta suorum
Turba, nefas oculi exhorrent, queritantia verba,
Impediunt lacrymæ, & luctisoni singultus.
Tunc quoq; diuinum, ne non dolor ullus abesset,
Perforat hasta latus, vidit hæc quoq; vulnera mater,
Atq; inter collapsa manus, duroq; dolore
Obrigit penitus, mæsto quam lumine natus
Aspiciens, moriens caro commendat amico.
Hinc illi placido clauduntur lumina somno.
Tertia iam tenebras surgens auro a fugarat,
Sed neq; ludorum finis, spectacula rursus
Exposcunt solitum tempus: Iam venit ab astris,
Aethereis

*Aethereis CHRISTVS, quo totum iudicet orbem,
 Surgit & ex caelo, varios induta colores
 Iris, perq; leues, scelerum DEVS arbiter, auras
 Lapsus ab extremo citò gentes conuocat orbe,
 Exquiratque genus vite, cursumq; peractum,
 Quemlibet exactam rationem & redare poscit.
 Hic primum, tristes voces, mæstæq; querelæ,
 Et luctus, lacrimaq; simul funduntur inanes,
 At nihil hic fletus, nihil hic verba irrita profunt,
 Hic ferus enumerat, damnataq; morte perenni,
 Nomina ferrata Minos complectitur urna.
 Talibus vrbs ludis veteres æquauit honores,
 Hoc opus, hoc studium, festis hæc cura diebus,
 His & clara sua quæsiuit nomina fama.*

*Iam quoq; qua magna præstans arx subiacet vrbi,
 Et proprijs fossis, proprijs inclusaq; muris,
 Vndiq; se vasta cingit se munimine portæ.
 Huic à laticia, cum nil nisi gaudia præstet,
 His inuenta locis fœcundæ copia venæ,
 Formaq; Fribergi, situs & incunaior vrbis,
 Nomina perpetuæ, tribuerunt consona fama,
 Vt Freudensteinum natiuo iure vocetur.
 Nam si forte Ioui priscis ars ista sub annis,
 Notaq; tot donis tellus Friberga fuisset,
 Arcadicas siluas, Creteiq; protinus arua,
 Pythius & Delphas, proles Semeleia Lesbos,
 Cijlleneng; DEVS velox Lemnonq; calentem
 Mulciber, & Iuno Samon, Argiuasq; Mycenæ,
 Ipsa Venusq; Paphon liquisset, Menala Phebe,
 Hic quid nobilibus decorata palatia signis,
 Aut distincta feram nitidis laquearia gemmis?
 Hic quoq; præstantes sculptos in marmore vultus,*

Heroum annus.

*Arx vr-
 bi conti-
 gua que
 ppter de-
 licias vr-
 bis, omni
 ùq; rerù
 venusta-
 tē Freu-
 denstein
 dicta est.
 Hac di-
 ruta Au-
 gustus Ele-
 ctor in
 honorem
 patriæ
 sue Ar-
 cæ amplâ
 et magni-
 ficam cõ-
 didit bis
 annus.*

Heroum facies, magnorum augustaq; Regum
Ora vides, penitus viuas referentia formas.
Omnia Praxiteles fecit, Scopasq; magister.
Hic auro phalera, pugna hic simulacra videntur,
Et zonis cinguntur equi, Tyriog; colore,
Induitur rigidis miles depictus in armis.
Hec Policleto dices confecta labore,
Atq; manus operi doctum tribuisse Colossen.

Quid nunc egregios pueros, pulcrasq; puellas,
Egregiasq; nurus referam, matresq; pudicas,
Hac, quot aues siluis, quot mergos continet aquor,
Strymoniaq; grues velocibus athera pennis
Quot findunt, viuunt florentes vrbe puella,
Quae candore niues, vincunt quae lilia campi:
Et veluti rutilo cum sol insurgit ab ortu,
Perq; rubet nubes splendens aurora serenas,
Sic rubet & nostris facies incunda puellis:
Sanguis & ut niueo mixtus cum lacte rubescit,
Talem pulcra refert facies & amica colorem.
Et velut argentum fuluo resplendet in auro,
Sic illis roseaq; gena, sic oraq; lucent.
Vincit ebur corpus, crinis speciosior aurum,
Labra rosas, manibus nix cedit, colla pruinas
Exuperant, plantaq; Thetin, Veneremq; mamilla.
Et formis Helenen, aquant te moribus aptis
Aemonis, ad Troiam nunquam visura profectum,
Et primum fletura virum: veneranda refulget
Effigies oculis, laudati plena pudoris,
Ipsaq; simplicitas, placidaq; modestia vultu
Eminet, incessus morum, vitaq; probata
Argumenta refert, facies velataq; castos,
Indicat & nullo corruptos crimine mores.

Lam vir
ginei de-
cori &
simplici-
tatis.

L At que

At que commoditas, que cunctis gratia rebus?
Qui decor, & splendor, que non culpanda voluptas,
Hic viget, his ipsis habitasset Cypria terris,
His bifera Alcinoi frustra pomaria certent,
Non unquam vacuis, quamuis ad sidera ramis,
Exurgant. illis & cedant Thessala Tempe.
Illis Telegoni, cedant Laurentiaq; Arua,
Persida Dulichijs ululatq; iugera monstribus.
His Amphionia, cedant his Anxuris arces.
His nemus Idalium, quamuis Venus ipsa frequenter
Illud, & eximio sua pingat prata colore.
Has terras habitare Ioui, si forte placeret
Eligeret, nostris taciteq; lateret in oris.
Laudaretq; genus vite, quid cuncta reuoluam?
His fauit natura locis, rerumq; creatrix
Omne genus concessit opum, potiusque cibique,
Large & cunctarum dedit oblectamina rerum.

Denique iucundam si quenquam ducere vitam,
Sive sodalitijs acres depellere curas,
Aut genio, modica dum restat portio vite,
Indulgere iuuat, non hic inamœna voluptas,
Copia nec rerum desit: Servire caducis
Cogimur heu fati, quid tam? si gaudia, donec
Fas est, exiguum capimus concessa per ævum.
Quis sciat an veniens nos proxima flagitet hora,
Linquere, presentis vix cognita gaudia secli.

At Fribergiacis nil unquam defuit oris,
Quod lautas mentes, cupidas aut mulceat aures,
Hic aptiq; cibi semper, potiusq; salubres,
Potus, qui propriam meruere hoc carmine laudem:
Nam licet hac tellus nullo prelustis Iaccho,
Laudibus haud vincat vino se mœnia Lesbi,

Voluptas
& omnium
rerum co
pia.

Sive



Siue Theramnai superet vineta Galesi:

*Dotibus illa tamen, quas cum Proserpina Diti,
Rapta fuit, cultis largè produxit ab agris
Alma ceres, prestat, cupidos que saepe palatos
Exhilarant, suavi mulcent & pectora gustu,
Propterea multis etiam hac cereuisia terris
Cognita, que siccos vrit cum Sirius agros,
Non tepet, & gelidos labris sitientibus haustus
Porrigit, & sanum membris, animoq; vigorem
Illa parit, donis, paruo nec nobilis usu.*

*At tu que tantis flores clarissima donis,
Sorte tua felix, placidis vrbs vtere fatis.
Et tibi perpetua succrescat copia vena,
Infraetamq; malis, nullo pressamq; dolore,
Te pia stelliferi seruet clementia cæli,
Ipse tibi fidus, studio tibi deditus omni,
Pauca tua cecivi, sed conuenientia laudi,
Carmina iudicio non displicitura sereno.*

*Lam ce-
reuisia
Fribera-
gensis.*

L 2

Richardis



RICHARDI SBRV,
LII FORLIVI
ENSIS.

ELEGIA IN LAVDEM
FRIBERGÆ.



*Friberga tuo liberrima nomine salve,
O salve Veneris, Mercurijq; domus,
Tu mihi visa meo primū pulcerrima cordi,
Maxima luminibus tu mihi visa meis.
O salve genij, salve pietatis imago,
Salve Misnensis lucida gemma solz.
Pulcra parens Misna, pulcra & tu filia Misne,
Natura certè filia, dote parens:
Dote parens dixi, nam qua non undiq; dote,
Fribergense solum libera terra valet.
Fertilitate valet, cunctis valet vna metallis,
Vna valet cunctis condecorata bonis.
Huic Amethunta putes omni cecidisse metallo,
Frugibus hac tellus arua sicana præt.
Huic setinus ager, generoso clarus Iaccho,
Collatus, careat nobilitate sua.
Nam quamuis multo non sit Friberga Lyæo
Nobilis, at certè potibus vna fluit.
Vna fluit potu tellus Friberga beato,
Hoc inquam, Cererem quem reperisse ferunt.
Vnde tenet nomen Cereris de nomine dictus,
In quo Friberga nobile nomen adest.
Nam Fribergensis passim cereuisia cunctis
Laudatur populis, appetiturq; frequens.*

Quidnam

Quidnam siue situm, seu magna palatia narrem,
Seu muros, seu quod terra beata parit.
Hic videas turrets, quas tu Neptunia dicas
Pergama, quae Roma non minus apta forent.
Quid pulcros referam pueros, pulcrasq; puellas,
Egregias matres, egregiasq; nurus?
Hic Helena formosa parum, pulcerrima quondam,
Ob cuius formam Troia superba iacet.
Iupiter hic olim vixisset faustus in oris,
Hac si forte Ioui nota fuisset humus.
Et sic Europam spreuisset taurus habere,
Antiope Satyrum passa nec esset onus.
At Fribergensi tacitus latuisset in vrbe,
Inter complexus, virgineosq; choros.
Mars quoq; si tales vidisset forte puellas,
Non uni Veneris se sociasse velit.
Sed dicet, plures tellus alit ista Dionas,
Cypria non tantum sit mihi diua Venus.
Nunc mihi diua Venus Friberga cernitur vrbe,
Nunc est multa Venus, non magis una Venus.
Quid delubra DEI, quid nunc altaria dicam,
Quid dicam sacras religiones opes?
Omnia sunt omni clarissima templa decore,
Praecipue Matri templa dicata DEI.
Hac sunt diuitijs, & sunt haec arte polita,
Materiam possis dicere vincit opus.
Hic vel Apelleas est inspectare tabellas,
Hic est mirari signa Lysippe tua.
Vtq; tot è signis unum mirabile ponam,
Hic est humano noster in ore DEVS.
Iuppiter huic dicas concedit eburneus ille,
Ille nimis gracilis concelebratus auo.

*Sic illi facies , sic frons veneranda refulget,
Sic sua sunt pulcro membrâq; digna DEO.
An taceam plenum prisca virtute senatum :
Et senibus suus est attribuendus honos,
Hic sunt conscripti meliori stemmate patres.
In quibus est patria iura tenere sua.
Pramia virtuti, vicijis imponere pœnas,
Et laudare bonos , & lacerare malos.
Hic est ex omni laudandus parte senatus,
Ingenioq; bono , iudicioq; bono.*

*Anno M. D. XXII. Quo anno
Polyxena Romana capitali in hac
vrbe supplicio affecta est.*



EIVSDEM ELEGIA DE
MIRA POTENTIA NATURAE,
IN REBUS SVBTERRANEIS
PROCREANDIS.

Cum Pater è nihilo fecundum condidit orbem,
Has iussit cunctis rebus inesse vices.
Ut nihil in solidum coeat, quod viribus expers,
Non gignat motu, semina mira suo.
Sic aqua, sic aër, tellus, quis crederet? ignes
Sustinet, & miris corpora viua modis.
Semina tot rerum miras gignentia formas,
Scire, foret rutili sydera nosse poli.
At quæ producit tenebroso terra recessu,
Plus mentes pulcra cognitione iuuant.
Namq; suis crescunt, in terris singula caussis,
Quæ certas præstant fœmina, virq; vices.
Quæ coit in densum, tellus & spissa videtur,
Gignendi vires, dic precor unde capit?
Cur hæc miras formas, variumq; metallum,
Tot lapidum species, signaq; mira ferat.
Cur miranda sui toties spectacula gignat,
Humanas formas, quadrupedumq; simul.
An quia terrene, quæ panditur orbita, molis,
Et quæ fluctuagis cinctæ residit aquis.
Non plane coit in solidum, sed peruia vento,
Materiae latas præbuit illa vias.
Sectæ vel, ut varijs animantum corpora, venis,
Nutriat humori semina mira suo.
An quia, materias sub terra spiritus omnes,
Percoquat, & vires quas petière, ferat.

Nam

*Nam natura suas non vsquam nescia vires
Exercere, & cunctis addere rebus opem.
Et tellus propria cum semina continet aluo,
Hic opus inceptum perficit aura suum.
Quae cum materia semper succosior omni,
Hac gignit formas, illa, iuuante suas.
Atq; foraminibus multis & hiulca latebris,
Continet in multis semina fusa locis.
Hinc gignit varios, lassant qui Nerea, ventos,
Et quatiunt, sonitu tecta domosq; fero.
Nam fera cum cacis moles erumpere terris
Nititur, obstantes & reserare fores.
Sed concreta intus turbam negat ire frementem,
Terraq; parturiens vasta recondit onus.
Post ubi, vi via facta, ruit, seuoq; boatu,
Saepe vrbes penitus, versaq; tecta rotat.
Hinc ignes tellus gignit, semperq; voraces.
Ad caelum flammam sauior Aetna iacit.
At quae sub gelidis gignuntur singula terris,
Nemo vnquam vidit, dicere nemo potest.*



IOACHIMI CAME
RARI ἑδοιοπορικῆ METAL
LARIA AD PHILIPPVM
MELANTHONEM.

A Suesco dum te paulatim posse carere,
Vnus, ni fallor, iam propè mensis abest.
Ille fuit multis si non mihi longior annis,
Eure feras reditus irrita vota mei.

Vix etiam memini, qua vos ego luce reliqui,
Quo qualis fuerit & quota mense dies.

Quam legis ex Anna tibi venit epistola monte,
O supra me ipsum care Philippe mihi.

Quò cum animo sic nuper iter suadente pararem,
Non tibi nulla fuit causa doloris amor.

Nunc etiam quoniam est erga nos ista voluntas,
Sollicitus de me non potes esse parum.

Non tamen immenso, nam sic puto, vincis amore,
Teq; modò hac nequaquam vincere parte pati,

Atq; tui desiderium si fallere possem,
Carmina de nostra scripsimus ista via:

Quæ fuit vnus dum iam confecta diei,
Vos ego quo potui deseruisse die:

Dumq; sodalitij quedam me turba secuta,
Ad vos Duringa vertit ab vrbe pedes:

Accingor solusq; via, ignarusq; locorum,
Aduersus fluctus limifer Albi tuos.

Quas quoties oculis spectantem humentibus undas,
Tristia Nefem plangere fata subit?

Quem miserum ereptum nobis, lachrymisq; relictis,
Ille suo immitis flumine mer sit aquæ.

M

Qualibus

*Qualibus heu lachrymis, quanto mœrore relicto
Omnibus, inprimis sed tibi, deinde mihi.
Iam vespertinas Sol declinabat ad undas,
Cum petimus nostræ proxima tecta viæ.
Cœtus ubi veteri de religione sacratus,
Non sterili magnas rure tenebat opes.
Vnius tamen hospitio me noctis egentem,
Limine gens repulit religiosa suo.
Tunc ego deuoui diris qui primus adisset,
Nec motas vrbes, nec loca visa prius:
Et quorum hoc furor ac studium insatiabile rerum
Humane auxissent improbitatis opus.
Est locus Albiacis ubi Misna rigatur ab undis
Fertilis, & viridi totus amœnus humo:
Misna nouo celebris nuper de numine facta,
Sed plus conspicue nobilis arce domus
Non arua ac vites desunt, non florida prata,
Fructiferaq; nitens arbore prægnat ager.
Vimine perpetuo salicis prætextitur amnis,
Respondet volucres & vaga ripa sonos.
Hæc tot ego rebus tempus fallentibus ibam,
Sentirem ut longæ tædia nulla viæ.
Vicina attigeram Trezenia rura Boëmis,
Et regni sedem Meise dînastra tui:
Quamq; noui qua sint tibi spumifer Albi recessus
Congesto claudens aggere munit opus.
Vidimus hic ipsosq; duces, natosq; patremq;
Cumq; sua visa est, filia matre mihi.
Visus & es Meise decus inclyte terræ
Qui ductum à Caroli nomine nomen habes.
Digne Mosellano quondam, nunc digne Philippo,
O malè prohibitas sorte negante vices.*

Te sane

Te sane ingenij video esse hac indole natum
De te ut sit magnum spes fore quicquid eris.
Iam his quam dederat lucem undis ortus Eois
Aduerso abstulerat mersus Apollo mari.
Ac post terga ego rellictis pallentibus undis
Albidos, hic vestra pro duce ab vrbe fuit:
Accipior lautè Friburgi, & luce sequente
Occidui Occidui montem venimus Anna tuum
Reperimusq; vagi solatia certa laboris
Sturtiaden, primis qui me complexus ab annis
Sturtiaden, primis qui me cimplexus ab annis
Irruptam tenuit semper amicitiam
Cuius ego merita ut faciam omnia, vix tamen unquam
Ex minima potero maxima parte sequi.
Is nos complexus, solitus quo semper amore est,
Hospitij antiqui iura benigna dedit.
Ille mihi ostendit qua abstrusa in viscere terra
Insanis studijs effodiuntur opes.
Mirari subiit curas, hominumq; furores,
Quam non pauperies cogit inire viam?
Hac piscem refugis laqueo deuincit in undis:
Hec & auem, cæli qua volat axe, capit.
Hac duce non umbris Acherontis proxima tellus
Fugit mortales dilaniata manus.
Et sua ditauit rimantes viscera ferro,
Non apto ponens hac benefacta loco.
Hac primus qui oculis penetrantibus omnia vidit
Si fuit hic quisquam, Lynceus ille fuit.
Lynceus, qui nubes aciem trans ætheris agit,
Cerulea & aquorea misit in ima plaga.
Lumine & obscuros orci perspexit acuto
Postes & clausas are nigrante domos.

*Ipse meis oculis aspexi mille ruinas,
Magno etiam fissas sapè timore petras.
Subq; fui passus iam plus tellure trecentos,
Et uiuo Ditis regia visa mihi est.
Hucq; regente pedes modico deuenimus igne
Per, tantum posset stare ubi planta, gradus.
Et specus is perquam nos insinuauimus, ultra
Vnum vix passum, non duo, latus erat.
Sic angusta etiam nos accepere cauerna
Ut tereret diues undiq; membra lapis.
Perq; ita dum tenuem uadebant corpora rimam
Transuersum ut posset vix capere illa latus.
Sic se furtiuos adducit amator in usus,
Cum pauida oclusas pandit amica fores.
Talia dat tardo caua ripa foramina cancro,
Sic vacua timidus mus tenet antra domo.
Hec tamen improbitas hominum fastidia vincit,
Qui sibi vesana sedulitate placent.
Quid? eum subsidant ingenti saxa ruina,
Quae multas operas supprimit una semel.
Perdidit admissæ non paucos impetus unda,
Illas non semper posse cauere datur.
Ligna fatiscentis nimio sub pondere scale,
Innumeros quoties fracta dedere neci?
Sic hominum tamen est querens natura laboris:
Cedere quæ ferrum non valet, igne cremant.
Estq; inuenta, caui quæ montis fornice pendens,
Miræ erumpentes machina ducit aquas.
Tanto emitur modò quæ cupias sperare periclo,
Quod leuis interitus spes ea causa fuit?
Ecce tophi luxata alios testudine, cum à se
Fortè iuga abscedunt non benè fuita, necant.*

Es

Et vapor extincti nonullos strangulat ignis,
Cum mala fumantes inficit aura petras.
Sensi, & mox retrò celeres ad flumina gressus
Traxi: letiferi est hæc fuga sola mali.
En loca sunt, faciunt quæ tristes inuita manes,
Non tamen illa ideo deseruisse volun.
Quin etiam, in stultis hic hæret mentibus error,
Hæc loca diuitijs esse referta putant.
Non etiam est crebro quòd frangit malleus ictu,
Et lapidem incluso decutit ære, satis:
Quod fuit effossum tunduntq;, vruntq;, lauantq;,
Quorundam ad riuu flumina frustra molunt.
Iam si quo liquifaceta modo fornace metalla,
De scoria pergam dicere pura fluant:
Vtq; aliquis iuxta flammam stet cuspide longa,
Sæpè metalla iubens currere, sæpe vetans:
Sit nimium longum, nec verbis posse referre
Sperem: non lingue est copia tanta mihi.
Vtq; sit, hæc demum, coram qui cuncta tuentur,
Percipiunt: cæco lectio monstrat iter.
Namq; veru ac prunas, cineres, mortaria, folles,
Instrumenta rudis quæ cocus æris habet:
Furamq; atri plumbi, quis dicere possit,
Vt capiat, qui non viderit ipse prius?
Planè est terribilis facies, hominumq; figura,
Horum uti poteras Orce ministerio.
Tales inferne pinguntur carnificina
Tortores, flamma, verbera, tela, rota.
Sic ubi succenso prorumpit ab igne fauilla,
Inq; ipsis tenebris sulphura tetra micant:
Vndiq; sub lustris densa caligine fumus
Spargitur, & putris æra complet odor.

*Insonat horribili tellusq; aetherq; fragore,
Is varia causa sunt fragor unde venit.
Ceus quondam Aetnaeis vasti Cyclopes in antris
Insudant operi Lemnie diue tuo:
Sive vsus Marti currus, Clypeumue Minerue,
Poscit Troiano seu Venus arma duci.
Hac absens animis spectro mirantibus, inq;
Naturae positu versor, & ingenio.
Atq; etiam humani per partes membra notavi
Corporis, ascripto nomine cuiq; suo.
Difficilis res est, & non quam plana putatur:
Me facere huic fateor non potuisse satis.
Ipse feram mecum, quoniam festino redire,
Iam videor nimium te caruisse diu.
Quod superest, ad vos cito sunt mea vota reuerti:
Tuq; hac ut rata sint vota precare, vale.*

Anno 1524. 9. Cal. Septembris.

**DE VENIS METALLI-
CIS GRATIARVM ACTIO
ET PRECATIO PHILIPPI
MELANTHONIS.**

Non casu volucres atomi sine mente ruentes
Hanc mundi formam progenuere nouam.
Formatrix sed mens sapiens ac optima mundi est.
Omnia que mira condidit arte DEVS.
Consilioq; sagax varios distinxit in vsus,
Et prodesse homini cetera cuncta iubet:
Et clara impressit multis vestigia rebus,
Agnosci sapiens conditor unde queat.

Hac

Hæc bonitas celebranda tua est Pater optime semper.

Fac grata mentes ut tua facta sonent.

Quare etiam grates pro tanto hoc munere dico.

Artis quod certum est tantum opus esse tua.

Intima quod venas sparsisti in viscera terra,

Vsibus ut nostris apta metalla ferant.

Lactea ubi fumis hydrargyra mixta coquantur

Sulphureis, fibra semina prima noua.

Dantq; alias formas cœlestia lumina massis,

In terra mirum est hæc penetrare sinus.

Sed satis effari queat hæc oracula nemo,

Hoc certum est nasci cuncta fouente DEO,

Vis etiam hæc nosto quæri tua dona labore

Legitimos vsus & tua dicta docent,

Mandasti quondam fieret tibi ut aurea sedes

Intra aditum templi conditor alme tui.

Iussisti & binas argenti pendere drachmas

Vt templi posset sarta manere domus.

Et iustum esse doces par compensatio cum fit

Sic vis pro sumpta merce nomisma dari.

Cumq; probas operas fossorum Ecclesia sæpe

His collecta locis fida placensq; tibi est.

In Carani docuit Paulus regione Philippis

Hic ubi tunc auri vena opulenta fuit.

Diuitiasq; loci celebrauit longa vetustas,

Vrbs ibi nam fuerat nomine clara Dathus

Sed cepit Pauli doctrina ditior esse

Qui populi mores predicat atq; fidem.

Exul ubi vidue pietate exceptus Helias

Sidonia quondam non procul vrbe fuit.

Hic à conflatis antiqua Sarepta metallis

Artem & opes monstrat nomine nota suo.

Multa

Multa bona mentes exempla hinc sumere possunt
 Quae formant mores quos DEVS ipse probat.
 Esse DEVM verum patefactum in rupe Sinai
 Norint, qui mundum condidit atq; regit.
 Quiq; redemptorem natum de virgine misit
 Qui viua aeterni patris imago sui est.
 Vocem Euangelij qui dura in pectora fundis
 Facundat montes semine ut ipse dato.
 Addit & huic vitam caelesti lumine voci
 Afflatu mentes vrit & ipse suo.
 Fossores tamen esse docet, sua dicta doceri
 Et studio disci praecipit ipse pio.
 Effossisq; opibus partem decidere mandat
 Ut conseruetur relligionis honos.
 Disce Sareptana vidua pia facta, fidemq;
 Hac aliqua ut referas parte precare DEVM.
 At simul effundi diuinam in pectora lucem
 Inq; sinus terra semina larga petas.
 Gnate DEI effigies aeterni viua parentis
 Hos populos serues te precor atq; regas.
 Hic Euangelio semper tibi collige caetum
 Concedas studijs hospitiumq; pijs.
 Hac animo voluit iuga per Ioachimica vectus
 Perq; Annamontes qui modo nomen habent.



CARMEN ADAMI
SIBERIAD
FRIBERGAM.

TE celebrent alij propter Friberga metalla,
Et quas foeta sinu diuite fundis opes:
Extollant iuuenum temeras incendia nymphas:
Extollant urbis teeta superba tua.
Sed neq; non laudent generosi pocula Zithi,
Quae mihi dum liceat ducere, Bacche vale.
At tibi cum multos propter virtute verendos
Grata:ur potius nostra Thalia viros:
Tum Grauium, cuius labor idem dicere laudes,
Icarij fluctus & numerare maris.
Quid qui sacra docet VVelleri pectora dicam,
Pectora Sithonia candidiora niue.
Tu quoq;, tu IEGERE olim mihi cognite multo
Vsu, dum sacras ardet uterq; Deas,
Quam merito illorum es Consul referendus in album
Quorum res crescit publica consilijs?
Hos Friberga magis miror, quam cuncta metalla,
Quam nymphas, Zithum, teetaq; celsa, domos:
At tibi succrescant plures, doctiq; boniq;
In pulchra summum sunt decus Vrbe viri.

FINIS.

N



CARMEN ADAMI

SILBERIAD

LIBRARIAM

T
Et
Ext
In
S
C
T
O
R
I
A
M
S
I
L
B
E
R
I
A
D
I
B
R
A
R
I
A
M

T I N I S

N



VDALRICVS GROS

CIVIS LIPSENSIS OPTIMO ET

Integerrimo Viro Dn. IOANNI vnder der

Linden/ Illustrissimi & Potentiss. Electoris AV-

GVSTI Ducis Saxoniae &c. Pharmacopolae

solertissimo, populari & amico S, co-

lendo. S. D.



VM decreuissem denuo Typis in-
formandum tradere EPICEDION
à viro Doctissimo & Poëta celeberrimo
Dn. Georgio Fabricio scriptum in obitum
eximia pietate ac religione viri Dn. Nicolai
Hausmanni Auunculi mei, quem ex hac
mortalí vita, inter explicationem Sacrae
Doctrinae in ipso suggestu, ad caelestem
euocatum scimus: oblata sunt mihi & alia
nonnulla Epitaphia, lectu non indigna, scripta
à viris doctissimis, Illustrissimis Electoribus
ac Ducibus Saxoniae, &c. nec non Parentibus
meis & cognatis, de FRIBERGA communi
nostra Patria preclare meritis. Quae cum in
vnum quasi fasciculum coniecissem, Typo-
grapho dedi, vt haec nouae meae Editioni
Fribergae BOCERI adijceret. Quem libellum
vir ornatissime sub tui potissimum nominis
auspicio, in manus hominum peruenire

N 2

volui,

volui, propterea quod proxime cum apud te essem
Annæburgi tantopere parentes meos & cognatos
prædicares & laudibus pænè ad cælum vsq; ex-
tollens, propter candorem & beneficia in te col-
lata. Qua commemoratione vt nihil mihi tum pos-
tuit accidere gratius, tanquam hæredi laudum il-
larum & virtutis maiorum: ita te consilium hoc
meum opusculi tibi dedicati non improbatum,
mihi persuadeo, idq; vt à te impetrari patiare, ma-
iorem in modum etiã atq; etiã peto. Vale
feliciter, & me, quem propter parentes
amas, hoc munusculo cariorem

habere non grauare. Lipsiæ

Cal. Iulij. Anno

M. D. LXXVII.



EPICEDION
GEORGII FABRICII
AD PAVLVM LINDENAV

Illustris, Saxoniae Duci Henricho
à Concionibus,

In obitum Sanctissimi Viri Dn. NICOLAI
Hausmanni qui Anno M. D. XXXIX.
Fribergæ in Templo D. Virginis
in suggestu obiit.

ADIECTIS ALIIS EPITAPHIIS
DE EODEM.

DE ILLVSTRISSIMIS ELE
CTORIBVS AC DVCI BVSSAXONIAE,
NONNVLISQVE CIVIBVS
PRECLARE DE FRIBER-
GAMERITIS.



EPICEDION.

VSqueadeone nihil totum stabile esse per orbem,
Sic Parcís avidas Paule fuisse manus?
Qui fuerat sacri magnum decus ordinis, ille
Vt iaceat tenui pulvis & umbra solo?
Quis mihi nunc fletus in funera præbeat? eheu
Ex omni iusta est parte querela mihi.
Si quisquam dulcem sine crimine luget amicum,
Qui nos officijs fecerat esse suum:
Filius in cineres si spargit thura parentis,
In tumulis & adhuc nomina grata colit:
Ereptum auditor si deflet iure magistrum,
Fata querens studijs esse inimica suis:
HAVSmannum merito debemus plangere, quem nos
Dicere doctorem possumus atque patrem.
Nam qui iusta negant deberi manibus, & se
Communis credunt sortis habere nihil,
Agresti vincunt rigidos feritate Tomitas,
Cordaque habent seuis asperiora Getis.
Rursus qui nimis indulgent sepe querelis,
Frenaque dant lacrymis liberiora suis,
Ignorare mihi vel non sentire videntur,
Quod mens diuinis sit fruitura bonis.
Non ergo immodicos referant mea carmina questus,
Nam contra æternum quis ferat arma Deum?
Nos mali transactæ ploremus tempora vitæ,
Tam Sancti non sunt fata gemenda viri.
Ne tamen officij, ne mutua cesset amoris
Causa, inerit numeris iusta querela meis.
Occidit Hausmannus, longo dignissimus ævo,
Immensusq; Sacræ religionis honor.

Quo

Quo nemo melius, quo nemo fidelius uno,
Et maiore suum pavit amore gregem.
Hunc luxit tales effundens pectore voces,
Peplo vinceta sacrum Theologia caput.
Heu cecidit per quem mea magna potentia facta est,
Heu cecidit nostri gloria magna chori.
Et duris illo est ereptus tempore fati,
Quo decus illius fas nituisse fuit.
Sed quia CHRISTE tibi sic clementissime visum,
Iste dolor certum debet habere modum.
Precipue cum qui fato moriatur eodem,
Felix caelesti vivere sede queat.
Hunc luxit nitidum scandens quoque tristior axem
Titan, & roseas tinxit ab imbre genas,
Cumque dies aliquot vultus texisset amœnos,
Loraque flammiferis pulla dedisset equis,
Fraternos luctus soror est imitata, suumque
Abscondit terris deficiendo iubar.
Quas promet voces, quas Vuiteberga querelas,
Pro tanto lacrimas quas dabit illa viro?
Quos gemitus fundet mansueto corde Melanchthon,
Quid volues animo magne Lutheræ tuo?
Hunc veluti carum fratrem lugebit Ionas,
Et tanget iustus te Pomerane dolor.
Quam multis potuisset enim prodesse superstes?
Ni tibi visum esset maxime CHRISTE secus.
Si quisquam exemplo docuit vel moribus unquam,
Totius & vite simplicitate sua,
Hausmannus numero dignè celebrabitur isto,
Ac primum ex illis auferet ille decus.
Aspernatus enim magnos est semper honores,
Nec studijs animum dedit ille malis.

Propter

Propter quas subeunt metuenda pericula multi,
 Instabiles forti pectore spreuit opes.
 Non tumuit fastu, non ambitione, nec ira
 Concitus, officio defuit ille pio.
 Inuidia stimulis non est agitatus iniquis,
 Certabant Scythica candida corda niui.
 Omnis erat sceleris simul, atq; libidinis expers,
 Et nihil in toto corpore fraudis erat,
 Erga inopes minime potuisset mitior esse
 Rebus, & auxiliij strenuitate sui,
 Nam nullos morbos, non pestes horruit in vllas,
 Ut quacunq; agros ille leuaret ope.
 Deniq; sic CHRISTVM docuit, sic paut ouile,
 Commissiq; fuit tam pia cura gregis,
 Ut clarum egregij Pastoris nomen haberet,
 Et maiore tamen dignior esset adhuc.
 Sunt, ut erant, ideo dicti quoq; Episcopi, ut illi
 Custodes scirent se gregis esse sui.
 Nec legisti alios olim tibi CHRISTE ministros,
 Per quos imperium creuit in orbe tuum.
 Nam quorum Pario nunc splendent marmore tecta,
 Quiq; tenent valida regia scepra manu,
 Serica quos ornant, peregrinoque orbe petita
 Vestes, & rubri lucida fila croci,
 Qui digitis aurum versant, viridesq; Smaragdos,
 Et calcant tumido lintea picta pede,
 Illorum rabie furijsq; labascit ouile,
 Ingentesq; ruunt totius orbis opes,
 Scilicet illorum caligant lumina somno,
 Et multuum caeca pectora noctis habent.
 Ac mutis canibus similes, non edere possunt
 Latratus, misera cum laniantur oues.

Ignant

Ignavi ventres, & inertia pondera terra.
Vendentes populo somnia facta rudi.
Terret Isaias hos tristi voce Propheta,
Ardua quamq; DEI vindicis ira canit.
Pestibus Hausmannus nunquam maculatus ab istis,
Sinceris verbi praeo fidelis erat.
Isq; annos plures hinc cum docuisset & illhinc,
Muneribus veri functus ubique patris,
Ut fructus etiam quos multis sepe tulisset,
Cuius hos ferret tandem aliquando suis,
In patriam votis communibus ille vocatur,
Spargeret ut verbi semina CHRISTE tui:
Hic primum quod erat fessus senio a:que labore,
Impositum blanda voce recusat onus,
Sed CHRISTI superavit amor, patriaeq; voluntas,
Quaeq; alios semper cura iuuare fuit.
Læticia quanta, quantoq; exceptus honore
Ille sit, alterius in carminis esset opus,
Sollicitos animos suspensaque corda tenebat,
Nam notum cunctis nobile pectus erat,
Ut desiderijs igitur votisq; suorum
Posset, & officio consulere ipse suo,
Incipit ad plebem diuinum funderere verbum,
Teq; sui capti ponere CHRISTE basim,
Mox tam felici mundo valedicit in hora,
(Quis putet hunc facilem non habuisse DEVM?)
Nanque in quo sancte versatus munere, ab ipso
Raptus ad aetherei est regna beata poli.
Non si Pelignos possem depromere cantus,
Vel si quid tellus Itala maius habet.
Cantarem gemitus, lacrimas, suspiria, luctus,
Quos pastore suo turba cadente dedit.

O

Est

Est locus Eoum penitus protensus ad axem,
Frena ubi luciferis Cynthus addit equis.
Arduus, undè ipsis cernas sublimior astris
Quidquid habet tellus, equora quidquid habent.
Perpetuo spirat vernans ibi gramen odore.
Ac pictus vario flore nitescit ager.
Aeternum ver est, nec opacant aëra nubes,
Et leni viridis rore fouetur humus.
Non furit iratus violentis flatibus Eurus,
Nec placida à rapidis leditur aura notis.
Fons quoq; pellucens medium qui diuidit agrum,
Lactis, & Hyblæ flumina mellis habet,
Hinc iam nectareas Hausmannus duxerat undas,
Ambrosiasq; pio carpserat ore dapes,
Non quales Phryx ille Ioui posuisse, vel Hebe
Fingitur, aut pede qui claudus utroq; fuit,
Sed quales supera credentibus arce parauit,
Qui mare, qui terras, qui regit astra D E V S.
His haustis igitur, cœlesti est sede receptus
Spiritus, humana nil mage facis habens.
Non igitur vanis lugendus planctibus ille,
Est cuius nobis indubitata salus.
Te manet is luctus Fribergum, teq; dolores
Cui talem eripuit Parca maligna virum.
Nam quem nutrieras, cuius genus atque parenteis
Nunc quoq; habes, quorum nobilitate tumes.
Huic licuisse minus fatis, te Sacra docere,
Quòq; modo cœli carpere detur iter?
Forsitan indignum tam claro heroë fuisti,
Atque in te iusti seuit ira D E I.
Pastores ut det tibi sanctos atq; fideles,
Supplice voce D E V S. nempe rogandus erit.

Nempe

Nempe rogandus erit, quo mentes det quoque tales,
Grata ut pro magno repperiare bono.
Verum ne longo laxemus frena dolori,
Néue trahat nimias ista querela moras,
Hausmanno requiem bone Paule precabimur, atque
Fundemus grates suplice voce DEO.
Hac quoq, vel non his habeat diuersa sepulchrum
Ipsius, artificii carmina ducta manu.
Hausmannus tumulo non totus clauditur isto,
Nec rapuit sanctum mors truculenta senem,
Nam corpus tegit hoc saxum, sed fama per orbem
Non moritura volat, spiritus astra tenet.

VALERIVS CORDVS
SIMESVSIVS.

Hoc cubat Hausmannus, rarissima fama sepulchro,
Qui licet hac natus ciuis in Vrbe fuit,
Vsq, tamen migrans vicina per oppida, CHRISTI
Et sibi commissas pavit & auxit oues.
In senio ad patriam tandem reuocatus, ut illhic
Christicolam sancto pasceret ore gregem:
Paruit ille suis, sacramq, ascendit in adem,
Pastorem sequitur maxima turba suum.
Dumq, ita salusfici spargit pia semina verbi,
Magnaq, dicentis pendet ab ore cohors:
Continuo rapitur, res est miranda, docentis
Spiritus, & celsi fertur ad astra poli.
Sic vixit, nulli pietate secundus ut esset,
Hinc quoque fama suis hostibus ille manet:

*Vos autem quibus est pia mens, & vita superstes,
Hunc velut exemplar semper habete senem.
Vt iudex summo descendens CHRISTVS olympo,
In simili inueniat vos statione sitos.
Propterea vigilate, fugit nos hora diesq̄,
Qua citus incautos opprimet illa malos.*

GEORGIVS FABRICIVS.

*Hic situs Hausmannus, quo vir nec sanctior alter,
Nec maior studijs vel pietate fuit.
Mors fuit haud impar vita, nec sanctus ille
Viuere, nec potuit sanctus ille mori.
Nam dum CHRISTE tu spargebat semina verbi,
Dignam animam caelo mitis ad astra leuas.*

ADAMVS SIBERVS.

*Quo nec maior erat quisquam pietate fideque,
Nec rectis studijs castitiaq̄ prior.
Cura salutiferum cui spargere maxima verbum,
Et bene commissas pascere semper ouesq̄.
Hoc tu conduntur pie membra Hausmanne sepulchro,
Mens capit in vero gaudia vera Deo.*



HENRICO PRINCIPI

sanctis. merito.

Iactatus varijs terrarq; mariq; periclis,
Henricus Patria gloria summa sua,
Filius Alberti, dux Saxonis inclytus ora,
Electoraq;, tuus dux Friderice nepos.
Qui Tartesiacum potauerat hospes Iberum,
Iordanisq; suum lauerat amne caput.
Phrysia cui mortem statuit, quam iure regebas
Et gladio, Patria tradita magna manu.
Post ea pacificus viuens, tibi primus apertas
CHRISTE suis terris precipit esse fores.
Hospita cum Regum Regi dat tecta benignus,
Submittens vni sceptrasuosq; DEO.
Nunc inter superos eterno splendet honore:
Salue omni populo commode, sancte senex.

Georgius Fabricius.

TVMVLVS HENRICI

Ducis Saxoniae.

Hac Henrice tibi statuit monumenta sepulchri
Pro meritis populus, pro pietate tuus:
Adiicit & fletus, nec non bona verba, Precesq;
Et quacunq; tui munera poscit amor.
Nostra quidem gauisa fuit te Misnia paruo
Tempore, quod regni frater haberet opes:
Quo tamen usq;, prius tota cum stirpe sepulto
Fratre, tibi populo reddere iura datum:
Non dominum, sed te sensit tua terra parentem,
Vsa sui miti principis imperio.
Nam quamuis, esses quod seruantissimus equi
Punires iusta facta proterua manu:

o 3

Non

Non metui tamen ipse magis, quam semper amari,
 Charus & optasti ciuibus esse tuis.
 Quinetiam vera doctrina captus amore,
 Qua res nulla magis principe digna viro:
 Multorum contra fremitusq; irasq; minasq;
 Defendis verbi dogmata pura DEI.
 Posset & ut populus de religione doceri,
 Acceptosq; DEO qua facit esse, fide:
 Ignauum templis monachos pecus eijcis, omnes
 Sacrificum incaesta nequitiaq; dolos.
 Cui factio certant, forti non pectore terris
 Passa pericla tibi, passa pericla mari:
 Gloria non belli fueris nam quantus in armis,
 Nec Phrysia, ut cupiant, arua negare queunt.
 Nunc animas inter sanctas, aurisq; malisq;
 Exuto, felix est tibi parta quies.
 Ipsa quies CHRISTVS, Christus quoq; vita bonumq;
 Parta quies CHRISTVS, vita bonumq; tibi.
 Nec nostros fletus, nec curas munera, nec quas
 Nunc tibi supremas soluimus exequias.
 Chare parens igitur Patria, inuidisse quietis
 Nos tibi dicamur ne bona summa tua:
 Iam lachryma sistant, tuq; o decus addite caelo
 Perpetuum salue, perpetuumq; vale.
 Adamus Siberus.

SEVERINI DVCIS SA
 XONIAE SPEI EX-
 CELSAE.

Mole Severinus Princeps hac clauditur, artes
 Cum natis Regis dum colit ipse bonas.

Indole

*Indole magnanima qui Patrem equabat, aumq;
Quos celebrat summos Saxonis ora Duces.
Augustus fieri hac fratri monumenta iubebat,
Quem tulit undecima messe, suprema dies.
Stansia cui tumulum prebet, cæliq; quietem,
O vita nulli tempora certa breuis.*

Georgius Fabricius.

MEMORIAE MAURICII
DVCIS ELECTORIS
SAXONIÆ &c.

O*Mnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quæ valere ruunt.
Ut perit in primo Pelides flore iuuenta,
Pyrrhus & hoc ipso de genitore satus:
Sic iam Mauricium nimium properantia fata
Saxonia terris eripuerunt Ducem.
Qui Gallos Turcasq; feros virtute repressit,
Militiæ prestans artibus atque togæ.
Hic modo cum Patriam iustis defenderet armis,
Fudissetq; hostes auxiliante DEO:
Fraude globus missus Victorem vulnerat, inde
Post pugnam vitæ non mora longa fuit.
Commendans animam sed CHRISTO, exordia vitæ
Hausit celestis non dubitante fide.
Est fragilis natura hominum, sed reddere vitæ
Gaudia vult CHRISTVS non moritura pÿs.*

Philippus Melanthon.

ILLVSTRIS. PRIN-
CIPIMAVRICIO DVCI
Saxonum, Electori &c. Defensori patriæ,
inclito victori.

Magnanimi busto Mauricij Principis isto,
De sepem sita sunt unius ossa viris.
Subq; hoc depositum requiescit marmore corpus,
Inuictiq; solo condita membra Ducis.
Qui vestigia maiorum per auita suorum
Virtutis gradiens & pietatis iter:
Ipse sibi pulcra peperit noua nomina laudis,
Et studuit proprium conciliare decus.
Ergo hoc non alius magis excelso tulit vllus
Afflictis patriæ pectore rebus opem.
Aduersatorem hunc metuit vis impia solum,
Inceptis metuit fraus violenta suis.
Presidio fuit hic populis Germanidos ora,
Et quasi Teutonice firma columna domus.
Terror ab hoc etiam Turcis est additus, illum
Externi solum pertimere Ducem.
Nunc dum conatur Patriæ succurrere fesse,
Et contra hostilem vim parat auxilium,
Ipse cauet minus incerto se credere Marti,
Heu dolor, accepto vulnere, lesus obit.
Victor obit pulsus & stratis hostibus, atq;
Heu rursus dolor, in castra reuersus obit.
Sed tua Maurici clari decora alta Triumphi,
Laudis & extinguet Nomina, nulla dies
Perpetuo viues. nam nescit funera virtus,
Nec pereunt fortis strenua facta manus.

Aeternum

*Aeternum viues, terra Germanidos Heros,
Iuncta recens stirpi gloria Saxonica.
Inq̄ tuus CHRISTO per multa pericla laborum
Spiritus, aetheria dona quietis habet.
Cui tua relligiosa fides te tradidit, adq̄
Conuerse illius numina sancta, preces.
Magne vale patriae decus & protectio, Princeps,
Et reliqua accisis Rebus adempta salus.
Splendida te celebrat studiorum fama bonorum,
Nec tacet ingenua Musicus artis honor.
Et TVA fronde tuum cingit Parnaside, semper
Palladioq̄ virens germine RVT A caput.
Te locus atq̄, etas, nunc admirabitur omnis,
Candidus & titulos Rumor ubiq̄ vehet:
Illustrissime salue heros. salue optime Princeps,
Inuide o salue Dux patriae, Pater.
O salue atq̄, vale. Tu nunc laudabit & hostis,
Et mala felicem deseret Inuidia.*

*Reuersus in castra est, accepto vulnere ictus impro-
nisi in praelio, fuso dissipatoq̄ exercitu hostium, ibiq̄
obijt diem S. V. Id. Quint. Princeps opt. & max. Cum
V. A. XXXII. M. III. D. XXI. H. X. Claudens
vitam S. placidiss. & religiosiss. sine.*

INDICATIO ANNI MORTIS.

*TeVtonICas fVror Vt tVrbabat saViter oras,
MaVRICIVS PrInCeps VICTor & ICtVs, obit.*

I. C. P. F.

P Inscriptio

INSCRIPTIO MONVMENTI
ti Illustris Principis D. Mauritiij,
Ducis & Electoris Saxoniae, &c.

P. M. Conf.

*MAVRICIVS D. Saxon. D. D. D. Henrici F.
Alberti N. Friderici II. Elect. Pron. In hac celebri
Metall. vrbe nascitur XII. Cal. April. Matre Catha-
rina Mechelburg. D. Magni F. Anno CHRISTI IESV*

M. D. XXI.

*Auus Mauricij Dux Albertus, Friderici III. &
Maximiliani Imperatorum hostes Matthiam Regem
Vngariae repulit ex Austria, Carolum Galliae à toto eie-
cit Belgio, obit*

M. D.

*Pater Mauricij Dux Henricus gubernator Phrygio-
rum in vrbe Franica de vita periclitatur, tum pera-
grata Palestina & Gallecia uxorem ducit Anno aetatis
suae XXXIX,*

M. D. XII.

*Georgio fratre mortuo, Henricus provincijs eius
potitur, fouensq; à tribus agnatis defensam Religionis
& veritatis causam, diuino Patriam afficit benefi-
cio.*

M. D. XXXIX.

Mau-

*Mauricius Dux Agnetem Philippi Hassia Land-
grauij F. natu max. ex qua Albert. F infante etate
mortuum, & Annam F. suscepit, coniugem eligit An-
no etat. sue X X.*

M. D. XLI.

*Patri Henrico ad regna caelestia ex arumnis huma-
nis faeliciter sublato Mauricius succedit, magna expe-
ctatione virtutis, summa ordinum omnium gratula-
tione.*

M. D. XLI.

*Ecclesias & Academias conseruauit, auxitque, tres
eximios ludos instituit, Dresdam Lipsiamq, splendide
muniuit, Arces nouas extruxit, ornauit veteres,*

M. D. XLII.

*Cum Electore agnato orta de VVrcina oppido con-
zrouersia, specimen industria singulare dedit, Et con-
silia pacis, suaacente Socero Landgrauio libenter ad-
misit.*

M. D. XLII.

*In Exercitu Rom. Imperij ad Budam Vngaricam
educto, non animus Ducis presentior, non virtus mi-
litis spectatior fuit, quam D. Mauricij suis stipendijs
militantis.*

P 2 M. D.

M. D. XLII.

Carolo V. Imp. contra Gallia regem Franciscum ad oppidum Veromanduorum Landresium opem tulit, pro sua suorumq; maiorum erga Imperatores perpetua obseruantia.

M. D. XLIII.

Carolo iterum contra Gallum auxilio veniunt ipse & frater D. Augustus cum Equitatu electiss. & ad Diuum Victorinum hostes pari alacritate & impetu aggressi claram reportant Victoriam.

M. D. XLIII.

Henricum Ducem Brunsvicensens facero & agnato imparatis, arma subito inferentem, suo aduentu terruit, & actiones ita moderatus est, ut bellum iam ardens sine cade restingueretur.

M. D. XLV.

In Germania grauissimi belli tumultu excitato, D. Mauricius rebus dubijs Patriam & subditos suos respiciens, cum Imp. Carolo satis fecisset officio. S. vim & iniurias à se & suis undique propulsat.

M. D. XLVI.

Rebus pacatis D. Mauricius Caroli Imp. benignitate Gentilitia dignitate auctus, Rom. Imperij VII. VIR & Ensifer Pr. Elector ritu solenni declaratur Augusta Vindelic. V I, Cal. Martij. Urbem

M. D. XLVIII.

Vrbem munitiss. Magdeburg. pactiones à Carolo oblatas recusantem, publica militia Dux factus, graui- ter obsidet, quam mense demum XV. conditionibus sane tolerabilibus in potestatem redigit.

M. D. LI.

Durante obsidione, ne qua occasio in Germania noui sumultus relinqueretur, in agro Hadelensi, Verdensis Diacesis collectam militum manum incredibili virtute & celeritate dissipat.

M. D. LI.

Vt fides socero seruaretur D. Mauricius bellum ne- cessarium mouet, Alpium Rhetic. fauces occupat, & Carolo Imp. condiciones accipiente Passauia pacem Re- ligioni, libertatem Princ. decus Germania restituit.

M. D. LII.

Eodem statim, rebus compositis, exercitu, Turcicas in Vngar. copias terrore nominis sui intra praesidia con- tinet, Insulam Danubianam munit, cladis exitiosa- me tum genti penè oppresse adimit.

M. D. LII.

Alberto Brandeburgico armis & incendijs in Pa- triam seuienti, prope arcem Peinam ad vicum Siffrid- husium congressus, in cursu victoriae globo ferreo feri- tur, tertio post die obiit V. Id. Iulij.

P 3

Augustus

M. D. LIII.

Augustus D Sax. Pr. El. D. Mauricio fratri dilectiss. S. bellis omnibus victori P. F. Magnanimo P. M. causa H. M. P. C. Cum ille gloria perpetua vixisset Anno XXXII. M. III. D. XXI. H. X.

MAVRICIO VICTORI,
Duci Sax. Septemuiro German.
Principi fortiss.

MAVRICIVS cecidit, bellax Germania plange,
Amisssa imperij quanta columna tui,
In tua Mars armis cur impie viscera seuis
Ecce tuum cecidit seua per arma decus.

MAVRICII tumulum cernens Germania plange,
Pectore magnanimo non habitura parem.

Georgius Fabricius.

EPITAPHIVM MAVRICII
DVCIS SAXONIAE
ELECTORIS.

Hic tuba terribilem sonitum rauco increpet aere,
Et fragor, & clangor Martia busta iuuat.
Mauricius situs hic: rursus da buccina cantum.

Ingemina strepitus, classica pulsa sonent.
Illustres animas honor hic, & saxa virorum
Arma quibus nomen grande dedere, decet
Hic claros, fatis diuum, Electoris honores
Saxonici, magno Cesare dante, tulit.
At fuerit quantus seui certamine Martis,
Senserunt hostes Theutonici ora tui,

Senserunt

*Senserunt Galli pugnacis Lilia, vastans
Nec non Germanos miles Iberus agros:
Bosphorus huius adhuc, gelidæq; Propontidos ora
Nunc etiam nomen corde micante tremunt
Nullus ad extremum felix bellator, & armis
Egregijs Mauors inuidet ipse viris.
Ergo cadit pugnans, & qui iam vicerat hostes,
Sulphureo telo lesus ab hoste, perit.
I nunc magna para, & claros molire triumphos:
Obruit & fati vis inopina DEOS*

Adamus Siberus.

DE MORTE MAURICII
Electoris Saxonix Elogium scriptum à
MICH: BARTH Anneberg. & insertum Ora-
tioni Anniuersariæ, habitæ Anno
LXVII.

Mauricio Albertus durum infert Marchio bellum,
Pugnarum fuerat qui comes ante Ducem,
Ingrediturq; ferox ferrumq; minatur & ignes,
Et quos attingit depopulatur agros.
Hunc contra iustas Dux exardescit in iras.
De Alberto meritis, qui meliora fuit,
Educitq; suas equitum peditumq; cohortes,
Quarum ingens virtus visq; animosa fuit.
Nec longa à Peina congressi praelia miscent
Praelia magnanimis conspicienda viris.
Nona dies Quintilis erat, qua fusus & hostis,
Et qua Mauricius vulnera dira tulit.

Tertiaq;

*Tertiaq; ex illo lux vulnere sustulit ipsum,
 Qui longos annos viuere dignus erat.
 Hac fuit illa dies in qua Peinensibus agris
 Quatuor illustres bello obière Duces.
 Et multi Comites & Nobilitate celebres
 Ter centum & plures interière viri:
 Ne memorem vulgus: tamen hac victoria parta est.
 Ingens, & Patrie parta cruore salus.
 Sic bene Dux generose cadis, nec honestius unquam
 Posses, quam quod sic Dux generose cadis.
 Isthoc pro merito cum multis nostra quotannis
 Nenia te semper Dux generose canet.
 Semper honos nomenq; tuum laudesq; sonabunt,
 Contra grande tui dedecus hostis erit,
 Qui dans terga fuga tibi signa virosq; reliquit
 Per longas decades que numerare licet,
 Que nunc signa tuum exornant cum laude sepulchrum,
 Que nullum his terris pulchrius extat opus.
 Felix ô iterum felix Friberga quod huius
 Cunis & tumulo es nobilitate Ducis.*

**DE OBITU PRIN-
 CIPIS MAVRICII IL-
 lustris, Saxonix Ducis Electo-**

*ri &c. Herois fortissimi, Nenia Ann-
 uersaria, Michaelis Barth,
 Annæbergensis.*

*MAVRICII sacros canat annua nenia Manes;
 Namq; dies redijt nigro carbone notata,
 Qua dum pro Patria pugnat, pro pace suorum,
 Mauricius cecidit victor fortissimus Heros. Vos*

Vos mihi Pierides lugubria dicite Musa,
Carmina, & abiecta Cythara sis mæstus Apollo,
Hæc dum solenni peraguntur tristia more,
Dum funesta dies currit, dumq; atra recurrit.

MAURICII sacros canat annua nenia Manes:

Heu quantus nobis circum præcordia mæror
Surgit, dum effigiem tanti spectamus inanem
Principis atq; Ducis, cui dudum in corpore robur,
Viuidaq; in forti regnabat pectore virtus.
Iam bonus Orator compressa silentia rumpat,
Et mihi diuinas laudes Herois, & amplas
Mauricij pleno virtutes prædicet ore.

MAURICII sacros canat annua nenia Manes:

Quem sensere GETAE immanes, metuere remotum
Belligeri Thraces, timidi fugere, sed omnes
Dilexere boni, qui quantis maximus olim
Acacides, tantis quassabat viribus hastam,
Qui spes imperij dum vixit sola remansit
Auxiliumq;, potens lapsis succurrere rebus,
Et solari humiles, pressosq; leuare Tyrannis.

MAURICII sacros canat annua nenia Manes:

Qui studia in tantum sumtu prouexit honesta,
Ut dubitem maiorne Duci ex his gloria rebus
Parta sit, an maior belli stet laude triumphus,
Nec facile expediet quisquam: clarissimus armis
Et fuit ipse toga, Musarum fautor & auctor
Splendidus, & magis fuit inclyta gloria Martis,
Pectus & os diuo similis mentemq; manumq;.

MAURICII sacros canat annua nenia Manes:

Cuius mortem etiam stupuit natura, priusq;
Sanguinea liquido cecidere ex aere gutta,
Atq; exauditi fremitus certantibus armis

2

Omnia

*Omnia consimiles, tentoria turbine rupta,
Et disiecta, suis cesserunt omnia fatis,
Fatis, quae nullis quisquam hinc effugerit alis,
Quis subiecta manent, quaecumq; hic continet orbis.*

MAVRICII sacros canat annua nenia Manes:

*Quem vir, quem mulier, puer, & quem fleuit adultus,
Quo moriente suum amisit Germania tristis
Et decus & columen, cui dudum fidere sueta est,
Siue sinu in proprio cernebat surgere bella,
Siue etiam externus signis minitantibus hostis
Nostros ausus erat bellando inuadere fines,
Omnes hic subito prostravit & orbe fugauit.*

MAVRICII sacros canat annua nenia Manes:

*Atq; suum quoties complevit Cynthius orbem,
Herculei repetens feruentia signa Leonis,
Iste dies tibi sit semper Germania acerbis.
Semper honoratus, semper decorentur in ipso
Vmbraeq; & tumulus, diuini Principis, acres
Et Patria integret luctus, memorentur & acta
Fortia, & in templis resonent praconia, ita ipsos*

MAVRICII sacros canat annua nenia Manes.

Gregorius Bersmanus,
MEMORIE ILLVSTRIS,
PRINCIPIS ET INCLYTI HE-
rois Diui MAVRICII Victoris, Ducis
Saxoniae Principis VIIviri &
Patris Patriae.

Septemuir claro de stemmate natus auorum
Inclytus Augusto sanguine MAVRICIVS,
Agmina qui toties Turcarum immania fudit,
Hostibus ex medijs capta trophaea ferens:

Gallia

Gallia quicq̄ tuis fortissima notus in oris,
Pro Patria pugnans fortiter oppetijt.
In medias dum nanq̄, acies acerrimus Heros
Irruit, hostili concidit ecce globo.
Principis ergo tui flebis Germania fatum,
Flebis & ipsa tuum Misnidos ora patrem.

INDICIUM ANNI OBI
tus summi Principis qui fuit
M. D. LIII.

Pannonias Victor notus virtute per vrbes,
Mauricius Princeps fortiter occubuit,

Aliter.

Mauricius Princeps Augusto sanguine clarus,
Letali oppetijt fixus ab hoste globo.

EPITAPHIUM ALEXANDRI
DVCIS SAXONIAE, &c. ADMINISTRA
toris Mersburgensis, Illustrissimi Principis Electoris
AVGVSTI, &c. filij.

VT flos purpureus, ventus quem laesit, & imber,
Demittit moriens mane recente comas:
Post lustra, AVGVSTO, geminati tempora, cretus
Principe, Alexander sic perit ante diem:
Deliciae matris, patris spes, summa futurus,
Fataq̄ si sinerent, gloria Saxonia.
,, Scilicet & Regum turres, inopumq̄, tabernas
,, Mors equo pulsat pallida ubiq̄, pede.
,, Et plebs & Princeps, omnes pueriq̄, senesq̄
Serius, aut citius puluis & umbra sumus.

Q. 2 AVGV.

AVGVSTI DVCIS SA-
xonix Augusti Electoris F.
infantis.

*Frigida septemuir lugens hac condidit urna
Augusti, Augustus filioli ossa sui.
Hunc terris menses terni ostendere, diesq;
Bis seni, cum, ceu lilia verna, cadit.
Nimum, regni ut cœlestis compleat aulam
Ex omni CHRISTVS stirpe tributa petit.*

FRIDERICI DVCIS SA-
xonix Augusti Electoris F.
infantis.

*Saxonix Ducis hac Friderici paruula in urna
Post lunas septem, paruula membra cubant:
Augustus pater ipse gemit, flet mœstula mater,
Infantem extinctum Misnia tota dolet.
Delicijs fruitur superum mens addita cœlo:
Vltima dum sonitum det tuba, CHRISTVS adest.*

TVMVLVS FRIDERICI
Ducis Saxonix Illustrissimi & potentis,
Principis Ducis Augusti, Prin. Septem-
uiri & c. F. infantis.

*Tu quoq; tranquille gaudentem nomine pacis
Illo Parca die Dux Friderice necat,
Quem fasti signant conuersi nomine Pauli,
Atq; futurorum pectora gnara notant.*

Omen

Omen inest letoꝝ tuo, letiqꝝ diei:

*Christe vera, quod mens augurat, esse ratum.
Da nos conuersos posita resipiscere culpa,
Et Paulum fieri qui modo Saulus erat.
Pax vrbes & templa colat: pax optima rerum,
Dispereat, quisquis bella necesqꝫ crepat.
Dispereant, quos spirantes immania facta
Christicolarum animas morte necare iuuat.
At vos alta DEO recludite limina porte,
Regis in aduentum pandite claustra fores.*

Gregorius Bersmanus.

**IN TVMVLVM
PAVLI LINDANAE,
Duci Saxoniae Henrico ꝑ
Concionibus.**

*Hoc Christo sacrum est: templum venerare viator,
Vtqꝫ sit huic cineri terra precare leuis.
Hoc tegitur tumuli sub marmore Lindana Paulus,
Nomine qui quod erat, lingua, animoqꝫ fuit.
Spirabat totus Christum, CHRISTVM Mqꝫ sonabas:
Eloquio Paulus, pectore Paulus erat.
Extinctum luxit non ficto Misnia planctu
Luxerunt maesti Saxonieqꝫ Duces.
In spe sanctorum corpus tellure quiescit,
Gaudia mens caeli non peritura capit.*

Adami Siberi.

2

3

In Tumulum

IN TVMVLVM IOANNIS

Hausmanni Cos. Friberg. (Hulderichi
Grosij aui materni) & Coniugis ac filij.

*Clausus Ioannes tumulo est HAVSMANNVS in isto,
Qui Patria fidus Consul in vrbe fuit.
Cuius adhuc meritis ciues latantur, eiq;
Vix virtute sciunt, & bonitate parem.
Ad dextram coniunx dulcis Chatarina quiescit,
De Breitenbachia que sata stirpe fuit.
Iungitur & lateri natus, pia cura, sinistro,
Christophorus, iustum mortuus ante diem.*

Georg. Fabricius.

TVMVLVS DONATI GRO
sij Doctoris Theologiae & Canonici.

*Doctoris clarus titulo, atq; insignis honore
Regula cui Graia voce notam tribuit,
Hic tumulum Donatus habet, cognomine gaudens
Illo, quod Macedum facta dedere d'ici.
Pulcrum est cognata celebrari nomine gentis,
Pulcrius est meritis nomen habere suis.*

Gregor. Bersmanus.

IN TVMVLVM REINFRI

di Grosij opt. art. Magistri &
Canonici.

*REINFRIDVS tumulo requiescit Grosius isto
Vir bonus atq; piae simplicitatis amans:
Artibus excoluit qui castum pectus honestis,
Et doctum laus est maxima, & esse pium.*

M. B.

T V M V L V S M. R I N
F R I D I G R O S I I
C A N O N I C I.

*Hic prope cognatos cineres Rinfridus humatur,
Implens mensuram nominis arte pari.
Hunc dedit exortum Friberga in luminis oras,
Qua iam nunc, cassum lumine, terra tegit.
Sed necis immunis mens, & post funera virtus
Qua vivit, caeli templa beata colunt.*

Greg. Berf.

D. O. M. S.

V L R I C O G R O S S I O,
V I R O D I G N I T A T E, P R V D E N
tia, virtute ac fide spectatissimo, Consuli huius vr
bis vigilantissimo, atq; optimè de Repub merito,
filij ac nepotes pientis. posuere. Vixit annos
CIII. Obijt pr. Cal. IXBR. An
no salutis Christianæ
M. D. LXI.

E P I T A P H I V M.

G R O S S I V S exemplum rara hac etate senectæ,
Cui mensura sui nominis, omen erat,
Supremo iacet hic cinerum sacratus honore,
Colloquio fruitur mens propiore D E I.
Orba parente suo, squallet Friberga dolore,
Consilij illi non habitura parem.

Greg. Bersinanus.

M A R.

MARTINI BURLERI
viri liberalis,

*Quo non integrior vita, nec amantior equi,
Aut inopes erga blandior ullus erat:
Qui Fribergensi studiorum fautor in urbe,
Ornatus studijs pluribus ipse fuit:
Hac tumulum Martinus habet Burlerus in aede,
Sed meritis multis nunc quoque nomen habet.*

Georgius Fabricius.

TVMVLVS VALEN-
TINI GRAVII DOLORE
CONFECTI.

*Ista Valentinum Grauium, doctumque piumpque,
Terra virum, atque eius membra caduca tegit,
Mens viuit miseri defuncta laboribus aui,
Dulciaque aeternae praemia pacis habet.*

Georg. Fabr.

EIVSDEM.

Ergo mors GRAVIO manus rapaces
Iniecit: Grauium tulere fata:
Lugete ô Heliconiae puellae:
Quas plus luminibus suis amabat:
Lugete, est hominum eruditiorum
Quantum ubique: benigniore vestra

Dextera

Dextera oĩa qui fouebat, cheu
Mœcenas Clarix iacet cohortis.
Nec tu, quæ viduata ciue summo
Non Friberga dole: tuumq; plange
Damnum, quod tibi non reponet vlla
Dies, secla licet DEI fauere
In aurum redeant futura priscum.
Certe si Grauium minus parente
Deplorem ipse, quis assis æstimandum,
Me putet: Grauij in me amore fidesq;
Tantus extitit optimi: Siberus
Te vero tuus omnibus diebus
Lugeboq; Graui, vocans quot annis
Manes terq;, quaterq;, amariore
Et fundam gemitus, colam sepultum,
Quem viuum colui: dabo coronas
Cum fletu, tumulto tuoq;. Nam qui
Non amici amat ossa, non amabat.

AD. SIBERVS.

D. MICHAELIS IEGERI FI
DELIS IVRECONSULTI ET
CONSULIS FRIBERG.
MERITISS.

*MICHAEL vera prestans virtute Iegerius,
Consulis hic digno functus honore iacet,
Cui studijs mores similes, & honoribus artes,
Ciuibus & Patrie quis bona multa tulit:*

R

Nam

*Nam bene de cunctis fuit illi cura merendi,
Deq̄ pia vehemens sollicitudo schola,
Exutus carnis vinculis, & corpore, vivit
Mente, fruens cæli munere, luce DEI.*

Georg. Fabr.

D. HIERONYMI VVELLE
ri S, Theologiæ Doctoris
celeberrimi.

Alloquor exuvias consulti, extincta, sacrorum
Vuelleri dirum que tegit, ossa, solum.
Quod fuit Aramides Sodomis, Hieronyme nostro
Tempore eras: prohibe ô tristia fata DEV S.
Nunc cælo positus magni audis scripta probari
A Christo, illius scripta diserta viri.
Quo moriente omnis perijt concordia templis,
Quæ celso spectat Parchasis vrsa polo.
Fortunate Senex, tibi habe hæc suprema Siberi
Dona, & aue nobis perpetuumq̄ vate.

Adami Siberi.

Αεω δ'ογα.



36. 173

ULB Halle
003 489 027

3



8

173





8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

F R I B E R G V M I N M I S N I A, I O A N N I S B O C E R I,

Huic accesserunt

RICHARDI SERVLII Forliuensis Elegia in laudem
Fribergæ.

Eiusdem ELEGIA de Mirapotentia Naturæ, in rebus subter-
raneis procreandis.

IOACHIMI CAMERARII Elegia ἐπιτομικὴ Metal-
laria ad Philip. Melanthonem.

PHILIPPI MELANTHONIS de venis Metallicis gra-
tiarum actio & precatio.

CARMEN ADAMI SIBERI ad Fribergam.



LIPSIÆ, Ioannes Beyer imprimebat,
Anno M. D. LXXVII.